CHRISTOPHORVS

Hegendorphinus, Eruditiſsimo uiro domino Magiſtro Petro BROCKENDORPHIO, & amico & cõpatri ſuo chariſsimo, Tum ornatiſsimo iuueni Vinceslao Cubitenſi, Archigrammateo Stasfurdiano.

S. P. D.

NOn parum multi & quidem maximi nominis Interpretes iuris ciuilis, in hac ſententia hærẽt, uiri ornatiſsimi, Dialecticã Iuriſcõſulto parũ utilem eſſe poſſe. Nam dialecticam, inquiunt, in uerborum contentione & pugna cõſiſtere. Iuriſconſultum uerò magis æquitatis quàm uerborũ ſtudioſum eſſe debere. Quibus hoc reſponſum ſit: Dialecticã non eſſe artem quæ pugnã umbratilem &, ut Græco uocabulo utar, σκιαμαχίαν de uerbis moueat, ſed eſſe artem, per quam & de grauibus cauſis apte decernere poſsimus, quàm aut firmis, aut infirmis argumentis nitantur, & eſſe artem per quã dilucide & diſerte de re qualibet dicere queamus. Nam hæc eſt ars, quæ rationẽ iudicandi argumenta docet. Hæc eſt ars, quæ aurem uellit, ut in rerũ tractatione & inquiramus & dicamus rerum naturam, cauſas, officia. Hæc eſt ars, quæ res aut in ſpecies diuidit, aut ĩ partes diſtribuit, & quæ ambigua ſũt, explicat. Ex quibus omnibus, quàm res de quibus dicimus, illuſtrentur, quis nõ intelligit? Iam quũ Iuriſconſulto, ſiue is cauſis agendis operã collocet,

ſiue in ſcholis iura profiteatur, ſiue conſilijs domi iuuet homines, nõ raro uſuueniat, ut uel ei ratiocinandũ, uel de aduerſarij argumentis iudiciũ ferendum ſit, quinam ille alterutrũ iſtorũ certe & feliciter fecerit, ſi non ex dialectica ceu oraculo quodã Delphico, certum quoddã & de cõtexendis et iudicãdis argumẽtis iudiciũ depromſerit? Ad hoc, ſi aut in actionibus forẽſibus, aut in ſcholis publicis de re aliqua iuriſcõſulto dicendũ ſit, næ ille aut turpiter interſileſcet, aut perturbate & confuſe oĩa euomet, niſi è dialectica & materiẽ de rebus dicendi in promptu habeat & Methodũ certam teneat. Vnde & Cicero Sulpitium illũ iuriſconſultorũ eloquentiſsimũ et eloquentiũ Iuriſconſultiſsimum, ad ea quæ cõfuſe ab alijs aut reſponſa aut acta ſunt, diſerte & reſpondiſſe & egiſſe ſcribit, quod is ad iuris ciuilis cognitionẽ, dialecticam omniũ artium maximam quaſi lucem attulerit. Quibus ex rebus nemo non intelligit Dialecticam iuriſconſulto non parum, ſed ualde eſſe conducibilem, ut quæ eum non inanibus uerborum cauillationibus inſtruat, ſed ad agendũ & diſerte dicendum promptum reddat.

Quod uerò dicunt Iuriſconſultum ad æquitatis normam ſemper ſpectare debere, id nec ego quidem nego, ſed propterea effici nego, Iuriſconſulto Dialecticam parum utilem exiſtere. Nam quamuis Theologo ſemper ſpectandum eſt ut id quod pietas ſuadet dictatq; perſequatur, tamen nõ inde efficitur, ei dialecticæ cognitionẽ parũ prodeſſe, ut quæ facit ut Theologus de pietate diſerte ad populum dicere, & illam populariũ animis cõmodius inſerere poſsit. Sic quamuis Iuriſconſultus æquitatis religioſiſsimus

ſißimus obſeruator eſſe debet, nihil tamen obſtat, quo minus ei & dialectica ualde proſit. Siquidem illa præſtabit, ut iuriſcõſultus quid æquũ ſit diſerte explicare, & quod æquitas ſuadet felicius perſuadere queat. At quum dialectica Iuriſcõſulto, ut iam probatũ eſt, ualde cõmodet, & ferè à iuuentute iuris ciuilis candidata negligatur: Ego, ut prima diſcentiũ ſtudia iuuem, quinq; libros de dialectica legali ſcripſi, in quibus, quomodo Iuriſconſultus dialecticæ præceptis uti poßit, oſtendo, & quàm dialectica & ad agendum & reſpondendum de iure lucem maximã adferat demonſtro. Qua in re an aliquid ad plenũ ſcriptum extet, nondũ certo ſcio. Extant Topica Ciceronis legalia, ſed illa locos tantum inuentionis tradunt. Extant Topica legalia Claudij Cantiunculæ, ſed præter Topica docent nihil. Baldus alicubi locos quoſdã inuentionis oſtendit, ſed locos tãtũ. Bartholus ſparſim in cõmẽtarijs ſuis Dialecticæ præcepta interſerit, & ea quatenus Iuriſconſulto proſint, demonſtrat, ſed quod de dialectica iuſtum uolumen ſcripſiſſet, mihi nondũ cognoſcere contigit. Circũferuntur aliquot libri de Dialectica legali à Petro Gambreo Bononienſi ſcripti, ſed quod cum pace tanti uiri dictum ſit, ieiuni ſunt, & omnes dialecticæ partes nõ perſequuntur. Nam in locis inuentionis tractãdis ſatis quidẽ ſunt uerboſi, ſed in quinq; uocibus prædicabilibus, in decẽ prædicamẽtis explicandis, ualde uerborum ſunt inopes, de ꝓpoſitionũ cõnexionibus, de ratiocinãdi legibus, ne hilum quidẽ præcipiunt. At ego in his libris quinq; omnia ferè quæ à dialecticis traduntur refero, & quomodo illis iuriſcõſultus futurus uti poßit, demõſtro,

deniq; ubi iuriſconſulti nonnihil à dialecticorum præceptionibus uariant, oſtendo. In præceptionibus Ariſtotelē, & alios dialecticorum principes ſecutus ſum, in exemplis, quamuis (cur enim quibus autoribus promouerim, diſsimulē?) Accursij, Bartholi, Baldi, Alciati, Zaſij, Claudij Cantiunculæ opera & induſtria adiutus ſum, tamen bona exempla plurima, quibus præceptiones illuſtrātur, à me in priuata legum lectione obſeruata, in hos libros redacta ſunt. id quod propterea moneo, ut iuuentus meo exemplo excitata, in legum lectione, dialecticæ præcepta obſeruare condiſcat.

Tibi uerò cōpater eruditiſsime, & tibi Vinceslaē chariſsime iſtos de dialectica legali libros ſimul dedicare duobus nominibus uolui, partim ut quādo uterq; ueſtrū certatim de me benemeritus eſt, & etiamnum benemeretur, uterq; etiā ueſtrum ſimul à me grati animi monumentū accipiat: partim quando (ut fit dum noui aliquid in apertum referimus) iſtis meis laboribus allatraturi ſunt plurimi, uos duos mihi ſelegi patronos, ut & eloquētia et autoritate ueſtra non uulgari cōiuncta, latratus quorundā ſciolorū qui quāto indoctiores erunt, tāto moleſtius oblatrabunt, ſine magno negocio cōpeſcere poſsitis. Nā nota ſunt illa quæ Diomedes apud Homerum dicit.

ξύν τε δύ' ἐρχομένω καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν.
ὅππως κέρδος ἔῃ μοῦνος δ' εἴπερ τε νοήσῃ.
Ἀλλά τε οἱ βράσσων δὲ νόος λεπτὴ δὲ τε μῆτις.

Si iſtū laborē uobis nō diſplicere ſenſero, animū mihi addetis, ut ea quæ de Rhetorica legali texere cœpi, & citius & alacrius pertexam. Bene ualete amici mea mihi uita chariores.

PRAEFATIO IN DIALECTICAM LEGALEM.

DVM EGO rem mecum diligẽter conſidero, nõ fruſtra uideo, Craſſum apud Ciceronem cupere, ut iuriſconſulti, Dialecticæ periti exiſtãt. Nam ſiue iuriſcõſultus domi ſuos conſilijs iuuat, ſiue in publico, et cauſas ciuiles git, & leges profitetur, opus habet certe quadam ra=one, quam & in conſilijs dandis, & in agendis cauſis, c in legum interpretatione ſequatur. Certam uerò de e qualibet dicendi rationem, Dialectica ſubminiſtrat. Nam hæc eſt Ars una, quæ, ut inquit Cicero, docet rem uniuerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primũ uidere, deinde diſtinguere, poſtremo hæc nobis ſuppeditat regulam qua uera & falſa iudicantur, qua quæ quibus propoſitis conſequantur, quæ non conſequantur noſcitare poſſumus. Id quod quum ita, ut dixi ſit, ego, ut iuuenibus Iure ciuili deſtinatis recte conſulam, breuia quedam Dialectices præcepta proponam, ad quæ ubi reſpexerint, aliquando & alios conſilijs prudenter ſubleuare, & ſi ita uideatur, prompte cauſas in publico agere, & leges in publicis ſcholarum theatris diſerte exponere queant. At uerò ut

iuuentus,quidnam ſit illa ars,cuius præceptiones tradere inſtituimus aſſequatur, primo omnium à finitione eius exordiemur.

QVID DIALECTICA.

Dialectica autore Rodulpho Agricola,*eſt ars probabiliter de qualibet re propoſita diſſerendi, prout cuiuſq; natura capax eſſe poterit. porrò probabiliter dicere,eſt, apte & accommodate, de re aliqua propoſita dicere. id quod fit,dum res finitionibus circūſcribimus, in ſpecies diuidimus & in partes diſtribuimus.* Id quod fit,*dū aptis argumentis rem quampiam,aut probamus aut improbamus.* Quod autē Rodulphus addit, *prout cuiuſq; natura capax eſſe poterit,ideo additū uidetur, quòd ſæpe occurrunt res, de quibus non admodum apte & conſentanee, dicere poßis.* In quibus *ſi pro rei natura quàm aptißime ad fidem dixerimus,officio ſumus functi noſtro.*

Ariſtoteles illā diſſerendi artē τὴν λογικὴν *ferè appellat,hac gratia,ut mea fert ſententia,ꝗ* Dialectica *eſt magiſtra ſermonis, ut quæ oſtēdit quatenus ſermones inter diſſerendū cohæreant, quatenus non cohæreant,& quæ docet quo ordine de rebus oblatis commode dici poßit.* Verbi *gratia, cōtingit quòd nobis dicendum eſt de contractu, hic, ſi dialectica inſtructi ſumus, ex ea illico quo ordine dicendum ſit de contractu concipimus.* Nā *primo occurrit ut finiamus contractum.* Eſt *autem contractus ultro citroq;* obligatio, quē Græci συνάλλαγμα *uocāt.l. labeo.ff.de rerum & uerborū ſignificatione.* Deinde *in mentem nobis uenit,ut diſpiciamus an aliquot cōtractus ipſius ſpecies ſint,& hic dicimus contractuū aliquos eſſe nomi*

nominatos, aliquos eſſe innominatos. mox cauſas & officia ſpecierũ contractuũ diligẽter ex Dialectices *præſcripto inquiremus. Nam alij cõtractus ex alio atq; alio iure proficiſcũtur, etenim ex iure gentiũ, omnes penè cõtractus oriũtur. §. Ius autẽ, inſti. de iure natura. gen. & ciuili. Sunt pauculi cõtractus qui ex iure ciuili manãt, quos recẽſet* Accurſius *in uerbo penè. §. modo citato, Inſti. de iure natura. officia contractuum uariorum uaria ſunt.* Poſtremo *ex* Dialectica *monemur, ut oſtẽdamus in quibus, cõtractus inter ſe conueniant, in quibus diſcordent.* Quo *modo ſi de contractibus diſſerimus adeo manifeſte auditores in contractuũ omniũ cognitionẽ perducimus, ut nihil à nobis amplius deſiderari poſſit. Cæterum ubi multa inter ſe coniuncta legimus,* Dialecticæ*, uel ut* Ariſtotelis *uerbo utar, logicæ artificio adiuti, ſtatim quæ apte cõnexa ſint, quæ inepte cohæreãt uidemus. non aliter atq; lapidarij fabri, adhibita amuſsi, operũ uel æqualitatem uel inæqualitatem explorant.* Quibus *de rebus inferius, ne hic in exordio ſtatim moleſti ſimus, exempla proferemus plurima. ex his opinor iam intelligi curnam* Ariſtoteles Dialecticã *logicæ uocabulo dignetur, ex his quoq; opinor intelligi res de quibus à nobis diſſeratur eſſe duplices, aliquas eſſe ſimplices, uel ut* Ariſtotelis *uerbis utar,* κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένας, *ut pactũ, locatio, conductio, ſtipulatio, obligatio, contractus. Aliquas uerò eſſe compoſitas* κατὰ συμπλοκὴν λεγομένας, *ut nudum pactum obligationem non parit, ſed parit exceptionem. l. iuris gentium. ff. de pactis. Item locatio & cõductio proxima eſt emptioni & uenditioni. §. locatio.*

Inſti.de loca.& conduc. Item *omnis ſtipulatio aut pure aut in diem aut ſub cõditione fit, §. omnis ſtipulatio,* In*ſti.de uerbo.obliga.*Rationem *tractandi res uel ſimplices uel compoſitas ex præceptionibus* Dialectices *ſequentibus iuuẽtus facillime diſcet.*Igitur *quum paucis & quid* Dialectica *ſit & παρέργως, quis & finis & uſus eius ſit, oſtẽderimus, ſupereſt ut quàm multiplex exiſtat oſtẽdamus.Sic enim futurũ ſpero ut* Iuuentus *diſcat obiter qua ratione res uel ſimplices uel cõpoſitæ tractari debeant.*

DIVISIO DIALECTICES.

Hæ Duæ Dialectices *partes ſunt, una inueniẽdi, altera iudicandi.*Prior *inueniẽdi rationẽ argumẽti & locos quibus res aliqua probari, improbari, tractariq; poßit, demõſtrat.* Verbi *gratia, ſi mihi offeratur ut diſputẽ de iure, hic* Dialectica *inueniendi locos quoſdam mihi indicat, è quibus de re ſimplici propoſita commode & perſpicue dicere poßim, ut ſunt:*

1 *Quid ius ſit.*
2 *Cauſa iuris quæ exiſtat.*
3 *Quàm multiplex ius reperiatur.*
4 *Quæ officia quarumlibet partium iuris ſint.*
5 In *quibus concordent, in quibus diſcordent partes iuris.*

Hoc Th*ema ita tractatum eſt in libro primo* Inſtitu*tionũ iuris ciuilis in* Titulo *de iure naturali gentium & ciuili.*At *uerò poſterior pars* Dialectices *iudicandi ſcilicet, formas quaſdã præſcribit argumẽtãdi, quibus dijudicari expẽdiq;, inuentũ argumentũ poßit, cohæreat an nõ cohæreat.*Verbi *gratia,*Dñ *imperator, in §. in poteſtate*

Inſtitu.

Inſtitu. de his qui ſui uel alieni iuris ſunt, ita colligit, ius gentiũ ſtatuit, ut ſerui in poteſtate dominorum ſint, ergo dominus in poteſtate habet ſeruos, hoc in loco Dialectices peritus ex Dialectica iudicãdi cognoſcit argumentũ Imperatoris belle cohærere, etenim à cauſa ad effectum cõmode & apposite colligitur, ſiquidem poſita cauſa ponitur effectus, cauſa autẽ efficiens, dominij herilis in ſeruos eſt ius gẽtium, à quo illud dominiũ proficiſcitur. §. eo. Inſti. eod. Item dũ Iuriſconſultus in l. de quibus cauſis. ff. de legib. Inueterata, inquit, conſuetudo pro lege non immerito cuſtoditur: hæc eſt propoſitio. cuius confirmatio ſequitur: Nam cum ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant quàm quòd iudicio populi receptæ ſunt, merito & ea quæ ſine ullo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes. Nã quid intereſt ſuffragio populus uoluntatẽ ſuã declaret, an rebus ipſis & factis? Hoc in loco Dialecticus quoq; conſequentiam probe perſpicit, eſt enim argumentum à pari, hoc modo: ut ſi leges nos obligãt, quòd conſenſu populi recipiantur, ergo etiam conſuetudo uel ius moribus conſtitutum à populo receptum nos obligabit, Nam parium idem eſt iudicium. De diuiſione Dialectices ſatis dictum eſt. quid obſtat uerò quo minus & paucis iuris ciuilis candidatis, quibus hanc operam meam in iſtis præceptionibus Dialectices tradendis, nauo, oſtendam, quidnam inter Dialecticam & Rhetoricam interſit?

QVID INTERSIT INTER Dialeticam & Rhetoricam.

Ariſtoteles libro primo Rhetoricorum ῥητορικὴ inquit, ἐςὶν ἀντίςροφος τῇ διαλεκτικῇ, Hoc eſt Rhetorica,

Rhetorica, eſt æquiualẽs Dialecticæ, id quod, ſi uerũ eſt, quomodo ergo altera ab altera ſeparabitur? Ita ſane, quòd Rhetorica latiore orationis tractu utitur: Dialectica uerò breui quodã orationis, alueo cõcluſa non exuberat. Cui rei, ut plus fidei habeatur, en audiamus ipſum Ciceronẽ, in libro de finibus 2. Rhetoricè igitur, inquit, nos mauis quàm Dialecticè diſputare? Quaſi uerò inquit perpetua oratio Rhetorum ſolũ, non etiam Philoſophorum ſit: Zenonis eſt inquiũt hoc ſtoici, omnẽ uim loquendi, ut iamante Ariſtoteles, in duas tributã eſſe partes dicere, Rhetoricã palmæ, Dialecticã pugno ſimilẽ eſſe dicebat, quòd latius loquerẽtur Rhetores, Dialectici autem comprehenſius. Hactenus Ciceronis uerba retulimus, è quibus nemo nõ perſpicere poteſt, quomodo Rhetorica à Dialectica differat, nempe quòd illa plenius, popularius, copioſius loquatur, hæc uerò anguſtius, & contractius diſſerat, exempli gratia. Dialectica ita colligit.

Qui occaſionem præſtat, ipſe damnum feciſſe uidetur. l. qui occidit. §. in hac actione ff. ad legem aquiliam, Sed Petrus ut domus mea incẽdio deflagraret occaſionẽ præſtitit, Ergo Petrus damnũ domus incendio deflagratæ dediſſe uidetur.

At Rhetorica ſyllogiſmũ iſtum breuẽ & exanguem latiorem facit, & tum uerborum tum rerum ueluti ſanguine colorat, dũ maiorẽ propoſitionẽ ſubiectis rationibus confirmat & minorem propoſitionem amplificat oſtendendo, quomodo Petrus occaſionem dederit, ut domus mea incendio periret, oſtendendo quomodo domus mea miſerabiliter cum rebus omnibus à culmine uſq; deflagrarit.

Digitized by Google

deflagrarit. Item Dialectica ita colligit.

Vim ui defendere omnes leges omniaq; iura permittunt. l. ſcientiam. §. qui cum. ff. ad legem aquil. ergo Milo Clodium iure occidit.

Hoc breue Enthymema, deus bone, quanto orationis flumine Cicero in oratione pro Milone tractat? quo in exemplo uel ſolo uidere poſſumus quàm late Rhetores, quã cõprehenſim Dialectici loquãtur. Quòd uerò Ariſtoteles, ut paulò ante dixi, ſcribit Rhetoricã eſſe ἀντίστροφον Dialecticæ eò referendũ eſt, quòd utraq; circa orationẽ occupatur, quamuis non, ut diximus, eodem modo. Nam Dialectica oratione breui & anguſta contenta eſt, huc reſpiciens, ut rem breuiter explicet. Rhetorica uerò & rerum & uerborum copia luxuriat, non cõtenta rem indicaſſe, niſi etiam prorſus oculis ſubijciat. Si quis plenius quomodo Rhetorica cum Dialectica, uel conueniat uel diſcordet uidere uolet, is legat Boëtium Seuerinũ, in libro quarto, de differentijs Topicis in ipſo ſtatim principio. Sub hæc, quando, ut dictum eſt, Dialectica eſt artificium appoſite de rebus & ſimplicibus & compoſitis diſſerendi, uidetur operæprecium eſſe, ut uocum, quarum inter diſputandum crebra eſt mentio, nec utilitas parua, rationem diſpiciamus.

DE QVINQVE VOCIBVS *Prædicabilibus.*

Inter alias uoces, cum quibus Dialecticis permultum eſt negocij, & quæ inter diſſerendum obſeruari ſolent, ſunt quinq; uoces prædicabiles, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens. Dictæ uoces prædicabiles, quòd

de ſe

de ſe inuicem prædicantur, uel ut apertius dicam, quòd altera alteri attribuitur. Id quod in progreſſu, nulli non perſpicuum erit.

DE GENERE.

Genus, ut apud Dialecticos accipitur, eſt uox quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie. Sic ius prædicatur de iure naturali, gentium, ciuili, quæ omnia differunt ſpecie, hoc eſt, diuerſæ iuris ſpecies exiſtunt. Sic & obligatio prædicatur de prætoria & ciuili, §. omnium, Inſti. de obliga. quæ quoq; ſpecie differũt. Sic actio prædicatur de actione in rẽ & actione in perſonã, & actione mixta, in l. actionum genera ff. de actionibus. Sic lex prædicatur de lege ſcripta & non ſcripta, ſed moribus introducta. Sic creditum prædicatur de mutuo ut ſua ſpecie. Nam creditũ à mutuo differt quo genus à ſpecie, l. mutuũ damus. §. Creditũ ff. ſi certum petatur. Exẽpla generis hoc modo accepta in iure ciuili ſunt plurima. Sed præter iſtã Dialecticam generis acceptionem, & genus in iure ciuili alijs modis accipitur, quos ut copioſißime, ita eruditißime magnũ illud iuris ciuilis ornamẽtum Vdalricus Zaſius in libro de ſingularibus intellectibus nonnullorũ locorum iuris ciuilis recẽſet. Ego, ut iuuẽtuti ſtudioſæ conſulã, ea quæ Zaſius multis uerbis cõmemorat, paucißimis referam. primo genus dicitur illud quod ſolum eſt, & anonymum ad nullã certam ſpeciem reſpiciens. Sic ultima uolũtas in genere reperitur, ut quæ nec ſit teſtamentum nec codicillus nec donatio cauſa mortis nec alio nomine ſpeciali inſignita. de qua uide Gloſſam in l. licet. C. de pactis, ſic & reperitur hæres citra certam

qualitatem

qualitatem in Glo. *Inſtitu. de eo cui li. cau. Secundo genus pro qualitate & conditione rei accipitur. ſic* Actio *uendicationis rei, dicitur eius eſſe generis, quòd per eam non ſolum ſingulæ res uendicantur, ſed etiã totus grex uendicari poßit .l. 1. §. per hãc ff. de rei uendica.* Tertio *modo accipitur genus pro communicabili quadã qualitate quæ rebus accidit natura uel quaſi ſimilibus, in numero, pondere, menſura, conſiſtentibus.* Natura *ſunt ſimiles, ui num, frumentum, oleum, metallum &c.* Eas *uerò res quæ artificis manu elaborantur, ſed in eis natura præualet, quaſi ſimiles appellamus, ut paries, tegulæ, lateres, ſal, butyrũ, farina.* In *omnibus illis rebus cõmunicabilis eſt qualitas, quæ apud* Iuriſcõſultos *genus dicitur, per quam functio id eſt promiſcuus uſus inducitur. Sic enim frumẽti ad frumentum, uini ad uinũ mutua uice datur functio.* Hactenus *acceptiones generis in iure ciuili uſitatas uerbatim ferè ex* Zaſio, *quàm potuit fieri paucißimis, retulimus.* Ad *hæc, genus in iure ciuili aliquãdo pro latiore ſignificatione rei uſurpatur: ueluti ſpecies pro anguſtiore uocũ notatione reperitur. Sic* Vlpianus *in l. inter donum, ff. de uerbo. & rerũ ſigni. inter donum & munus hoc intereſſe ſcribit, quod inter genus & ſpeciẽ, hoc eſt (ſic enim eloquẽtißimus ille noſtri ſeculi* Sceuola Andreas Alciatus *interpretatur) ſicut latior eſt generis quàm ſpeciei ſignificatio, ita eſt latior doni notatio quàm muneris. quo modo & accipiũdum eſt illud quod dicitur in* §. *plebs.* Inſti. *de* Iur. *na. plebẽ à populo differre, ſicut ſpecies à genere differat.* Nimirũ *quòd populi nomen latius ſe protẽdat quàm plebis.* Hæc *quæ hactenus recẽſui, ideo recenſui,*

recẽſui,ne iuuenes in iure ciuili uocabula genus & ſpeciem eo ſemper ſignificatu accipi putent, in quo Dialectici accipiunt. Redeo iam ad Dialecticam generis acceptionem, qua diximus, genus eſſe id quod natura ſui pluribus ſpeciebus ſeſe communicat. exempla ſuprà attulimus. Porphirius Genus diuidit hoc modo.

DIVISIO GENERIS.

Generum aliud eſt generaliſsimũ uel, ut Valla dicendum putat: Genus ſummum: Aliud eſt ſubalternum. Genus generaliſsimum à Porphirio ita finitur. Genus generaliſsimũ eſt, quod cum ſit genus non poteſt eſſe ſpecies. ut Ius, obligatio, cõtractus. Subalternum genus eſt, quod & generis & ſpeciei naturam præ ſe fert. Verbi gratia: Ius ſcriptũ reſpectu legis, plebiſciti, ſenatuſcõſulti &c. eſt genus. Cæterum reſpectu iuris eſt Species. Sic adoptio aliquando uendicat ſibi nomẽ generis aliquando nomen ſpeciei ſibi arrogat, autoribus Angelo in §. Adoptio, Inſti. de adop. & Cyno in. l. 1. ff. eo. titu. Genus eſt quum ita finitur: Adoptio eſt actus legalis per quẽ, uel fit tranſitus in poteſtatem alterius, uel ſaltẽ ius inteſtatæ ſucceſsionis. Quum uerò Species eſt Adoptio, ita finitur: Adoptio eſt actus à lege præſcriptus, per quem homo ſui iuris principis autoritate in alterius poteſtatem demigrat. Quæ Species Adoptionis arrogatio uocatur in §. Adoptio, Inſti. de adoptionibus. Sic etiam actio aliquando generis, aliquando ſpeciei rationem habet. Nam omnis actio dicitur ſiue in perſonam, ſiue in rem ſit petitio, ſed plerunq; actiones perſonales ſolemus dicere. l. pecuniæ. §. actionis. ff. de uerbo. & rerum ſignifica.

DE

DE SPECIE.

Species eſt uox quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, ſeu illud quod cõplectitur in ſe plura differẽtia numero. Ita ſpeciẽ finit Bartholus *l. quæſitum §. ſi quis fundũ ff. de fundo inſtructo.* Exempla*: ut finitio manifeſtior fiat producemus: ut homo prædicatur de* Titio, Vlpiano, Labeone, Pomponio, *quæ differunt numero, hoc eſt, quæ dum numerantur inter ſe differunt. ſic fundus inſtructus comprehendit omnia inſtrumenta ruſtica urbana, item mancipia, quæ omnia differunt numero, in l. cum de lanionis §. cum fundus ff. de fundo inſtructo.* Sic *fructus pecudũ complectitur fœtum, lac, pilum, lanã, quæ etiam numero differentia exiſtunt, in §. in pecudũ fructu, inſti. de rerum diuiſione. ſic mutuum eſt ſpecies & prædicatur de rebus numero, menſura, pondere conſiſtentibus, l. mutuum ff. ſi certum petatur.* Poteſt *& ſic ſpecies finiri, ſpecies eſt quæ generi ſubijcitur, id eſt contractius quoddam eſt nomen quàm genus, ut quod latiori ſignificatione circumſcribitur, ut tutela teſtamentaria, legitima, fiduciaria, à iudice uel prætore data, tutelæ ſubijciuntur. de quibus eſt uidere multa in inſtitutionibus &* Pandectis. *ſic urbana ſeruitus, ſic ruſtica ſeruitus, ſeruituti generi ſubijciũtur, ſic actio directa, actio utilis actioni ſubijciũtur, ſic dominiũ directum, dominiũ utile, dominio ſubijciuntur.* Porrò *ſpecies, uel ut* Cicero *in* Topicis *appellat, forma eſt dicta quòd incertũ, confuſum, informe genus expolit, et ſpeciendũ (liceat mihi uerbo priſco uti) nobis exhibet.* Nã *quũ dicis furtũ, incertũ quid & informe à te dicitur. at ſi dicis furtũ manifeſtum*

& non manifeſtum, confuſio generis & informitas per ſpecies tollitur §. *furtorũ* Inſti.de obliga.quæ ex delicto naſcũ. *Hæc obiter ſtudioſos iuuenes latere nolo, genus & ſpeciẽ in iure ciuili nõ raro cõfundi, ita quòd unũ pro altero uſurpetur. Sic in* §. *furtorũ* Inſti. de obliga. quæ ex *delicto naſcun. furtorum, habes, duo ſunt genera, hic audis, genera pro ſpeciebus uſurpari.* In l. *Meuius* §. *duorũ ff. de legat. 2. habes quòd homo in genere, plures in ſe homines comprehendat. ubi genus quoq; pro ſpecie ponitur. Porrò ſpeciẽ pro genere in ll. uſurpari facile eſt uidere, in toto titulo pandectarũ de fundo inſtructo.* Quid? *quòd etiam dialectici dicunt ſpeciem indiuiduis collatam generis faciem accipere.* Nam *homo* Vlpiano, Labeoni, *Sceuolæ comparatus, generis naturã induit. Ad hæc ſpecies in iure non ineleganter pro themate, uel, ut hodie loquuntur, pro caſu quodã accipitur. ut in l. certa cõdictio* §. *quoniã ff. ſi certũ petatur, Reſtrẽdæ, inquit iuriſcõſultus, ſunt nobis quædam ſpecies &c.* Dialectici *duplicem ſpeciem recenſent,* Speciem *ſpecialiſsimam, & ſpeciem ſubalternam: quarũ illa uox quæ cum ſpeciei naturam habeat, in generis rationem cadere nequit: ut* Tutela *teſtamentaria, uox eſt quæ præter ſpeciei naturam nullam aliam inducere poteſt. Sic quoq; eſt plebiſcitum, ſenatus conſultum, prætoris edictum, hæc enim nil niſi ſpecies ſunt.* Species *uerò ſubalterna eſt, quæ amphibion quiddam exiſtit, nimirum iam genus iam ſpecies, ut ius ſcriptum.* Etenim *ſi reſpicias ius ſimpliciter ſpeciei naturam accipit, ſi reſpicias legem, plebiſcitum, et quæ ſunt huius farinæ, generis rationem retinet. ſed quando ſpeciem* indiui

indiuiduis collatam generis naturam adſumere dicimus, paucis quid indiuiduum ſit, aperiemus.

DE INDIVIDVO.

Indiuiduum eſt, quod de uno ſolo particulari prædicatur. ut Capito iuris tam priuati quàm publici, autore Gellio, peritiſſimus. ut Labeo Antiſtius, qui præter iuris ciuilis ſcientiam, & Dialecticæ & literarum antiquarũ apprime doctus fuit. ut Papinianus, quem iuris aſylum Spartianus appellat: ſapiunt indiuiduum iſtæ orationes, quæ certam quandã demonſtrationem, ut iuriſconſulti loquuntur, præ ſe ferunt. ut hic homo, hæc ſeruitus, hæc iuriſdictio, hoc imperium, hæc emptio, hæc uenditio. huc facit l. certum eſt, ff. ſi certum petatur.

DE DIFFERENTIA.

Nolo hic referre quàm uarie differentia accipiatur. ſiquidem id ex Porphirio nemo non facile excerpere poteſt. finiam igitur differentiã pro eo atq; in præſentia accipitur, hoc modo. Differẽtia eſt quæ diuidit & diſpeſcit ea, quæ ſub eodem genere poſita ſunt. ſic ſcientia iuſti & iniuſti in rebus ciuilibus, ſeparat iuriſprudentiam à Theologia, à Medicina & à cæteris ſciẽtiarũ generibus, § iuriſprudentia, Inſti. de iuſti. & iur. uel ſimpilciſſime Differentia finiri poteſt, quòd ſit nota penes quã res una ab altera differat. ſic Teſtamentum eſt uoluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo quod quis poſt mortẽ ſuã fieri uult. hic, ſingulæ uoces notæ ſunt, penes quas teſtamentum, à rebus alijs differt. Nam dum dicitur Teſtamentũ, eſt ſententia uolũtatis noſtræ, differt à uolũtate quæ, ut iuriſcõſulti loquuntur, eſt enunciatiua, eſt non uoluntaria, dum

dicitur, iuſta, differt à teſtamento minus ſolenni &c. uide copioſiorem huius finitionis teſtamenti explicationem apud Bartholum in l. 1. ff. de Teſtamen. Sic quia proteſtatio eſt animi noſtri declaratio, iuris acquirendi uel cõſeruandi, uel damni depellendi gratia, facta, differt à conteſtatione, quæ eſt, cum actor quid ſententiæ habeat petendo explicat, & econtrario reus negando diffitetur. Sic uſus fructus à proprietate differt uarijs modis, ut eſt uidere in §. uſus fru. Inſt. de uſu fru. Sic uſus ab uſufructu differt, q̃ ille eſt ius utẽdi rebus alienis, ſalua rerum ſubſtãtia, ut gloſſa uſum finit ĩ l. 1. ff. de uſu. Hic uerò eſt ius utẽdi, fruendi rebus alienis, ſalua rerũ ſubſtantia. §. uſus fru. Inſti. de uſu fructu, ſic etiã penes certas res proprietas à poſſeßione differt l. 1. ff. de acquiren. rerum domi. Nam dominium eius manet, qui dominus eſſe non uult, poſſeßio autẽ recedit ut quiſq; conſtituit, nolle poßidere, in l. ſi quis §. differentia ff. de acquir. poſ. ex exẽplis illis quæ iam attuli, opinor nemini nõ perſpicuũ fore, quidnã differẽtia ſit. exẽpla qui uolet alia ĩ iure ciuili, huc cõferat, me ὁδοποιῶν, ut Ariſtotelis uerbo utar, ſatis erit.

DE PROPRIO.

Dialectici admodum argute diſputant quomodo proprium à differentia diſcrepet. Ego uerò omißis omnibus argutijs & ſcapham, ſcapham, ut in prouerbio eſt, appellando ſimplicißime quomodo differẽtia à proprio diſſidere uideatur dicam. Differentia appellabitur id, quod generi additũ, diuidit & ſeparat illa, quæ ſub eodẽ genere collocata ſunt. ut præſcriptio rerum mobilium, diuidit & ſeparat uſucapionem à præſcriptione, ut quæ

proprie

proprie rerum eſt immobilium, ut ſubindicat l. 2. C. in quibus cauſis ceſſat longi temporis præſcriptio. Sic donatio à defuncto relicta hæredi præſtāda, quod legatum eſt, ſeparat legatum à donatione cauſa mortis, ut quæ non ſemper ab hærede præſtatur. de quarum rerum differentia extat memorabilis gloſſa in uerbo fere legatis § . 1. *Inſtit. de dona.* Explicauimus iam differentiæ rationem. At proprium ſimpliciſſime uocamus illud, quod officium alicuius aut rei aut perſonæ declarat. Sic proprium eſt iuſtitiæ ius ſuum cuique tribuere § . 1. Inſti. de iuſtitia & iure. Sic proprium eſt legis imperare, uetare, permittere, punire l. legis uirtus ff. de leg. Sic proprium eſt tutoris, defendere pupillum § . Tutores, Inſtit. de Tutel. Sic proprium eſt curatoris, negocia illorum quibus præeſt bona fide tueri, in l. His qui ff. de Tutoribus & curato. Sic proprium eſt actoris litem proponendo intendere. proprium eſt rei, litem excipiendo à ſe pellere. Nam reorum eſt fugere, unde & φεύγοντες apud Demoſthenem uocātur. Sic propriū eſt iudicij petitorij uel aliquā rem uel poſſeßionē ratione dominij petere. Sed quis enumerare poterit oīm rerū, quæ in iure ciuili occurrūt, propria ſeu officia? paucula quædā produxi, ut iuuenem ad obſeruanda propria rerum inſtigem & acuam.

DE ACCIDENTE.

Accidens ita fere finitur: Accidens eſt quod adeſt uel abeſt, præter ſubiecti corruptionem. ut fundus eſſe poteſt ſiue colatur, ſiue incultus relinquatur, ut Titius eſt legatarius. Sempronius eſt hæres. Sic euictionis obligatio, in contractu emptionis, in contractu ſocietatis lu-

cri & damni participatio, adeſſe uel abeſſe poſſunt citra contractuum ſublationem. Qua de re diſputat, ut elegantiſſime ita prudentiſſime Vdalricus Zaſius in libro, cui Titulum fecit, Intellectus iuris ſingulares, in capite, Subſtantialia & naturalia contractuum. Sic dos matrimonio uel adeſſe uel abeſſe poteſt, præter matrimonij deſtructionem. Sicut enim dos propter nuptias fit, & ſine nuptijs nulla quidem dos intelligitur, ſine dote autem nuptiæ poſſunt celebrari, in l. cum multæ C. de dona. ante nuptias. Creditum eſſe poteſt uel cum pecunia uel ſine pecunia in l. mutuum §. creditum ergo ff. ſi certum petatur. Porrò ne quem hoc lateat, in iure ciuili ſubiectum non tam anguſte accipimus quàm dialectici uſurpant. Nam ſubiectum hic uocamus illud, cui quomodo aliquid accidit. Sic & accidentia appellamus ea, quæ quacunque ratione rei alicui adiungũtur, & addi uel adimi ſolẽt. Dialectici duplex accidẽs recenſent, ſeparabile & inſeparabile. Separabile uerò eſt, quod à ſubiecto ſeparari poteſt. ut à Titio ſeparari poteſt quòd uel actor uel reus ſit. Inſeparabile uerò, quod ſubiecto inhæret & ab eo diuelli actu nequit. Sic precium inhæret emptioni. Nam nulla emptio ſine precio eſſe poteſt, §. precium Inſti. de emptio. & uendit. ſic communio ſocietati inhæret l. 1. cum l. ſequente ff. pro ſocio. Sic precario reuocandæ rei facultas inhæret l. cum precario ff. de preca. Sic interrogatio & reſponſio actu continuo facta, ſtipulationi inhæret, & ab ea citra ſtipulationis interitum diuelli nequit. l. 1. §. qui præſens ff. de uerborum obligatio. Hactenus rationem quinque uocum, ut uocantur, prædicabi

lium

lium,pro noſtra uirili explicauimus,iam ut illarum etiã uſus certus iuuenibus conſtet,pauca quædam uice coronidis,illis quæ dixi,adiungam.

DE VSV QVINQVE uocum prædicabilium.

Vſum quinq; uocum prædicabilium Porphirius oſtendit,dum,quomodo illæ de ſe inuicem prædicantur.prolixa diſputatione oſtendit.ego ut tædium iuuentuti auferam,prolixam illam Porphirij diſputationem, in compendium contraham.Ex illis quinq; uocibus, quas modo explicaui,iuuẽtus facile diſcet,quæ uoces de quibus prædicentur uel quibus tribuantur,uel ut apertius etiam dicã,quæ uoces cum quibus mutuã quandã cognationẽ & συνκοινωνίαν habeant.ſic genus prædicatur & de omnibus ſpeciebus ſub ſe contentis,iuxta indiuiduis.de quibus & differentia,quæ generis conſtitutiua uocatur prædicari ſolet.Exẽpli gratia, Donatio eſt genus: prædicatur de ſpeciebus,quæ ſunt,donatio cauſa mortis,& non cauſa mortis §.donationũ.Inſti.de dona. Item donatio prædicatur de donatione propter nuptias in §.eſt & aliud, Inſti.de dona.Sic dicimus, donatio cauſa mortis eſt donatio, donatio propter nuptias eſt donatio. prædicatur & de legato,quod & ipſum donatio eſt,§. legatum Inſt.de legatis.Porrò ſeruitus prædicatur de indiuiduis, ut hæc uia debet ſeruitutem, hoc iter ſeruituti obnoxium eſt, hic fundus ſeruituti Petro obſtringitur. Sic ſentẽtia ultimæ uoluntatis noſtræ(agnoſcis opinor differentiã cum genere)prædicatur de teſtamento militari, de teſtamento nuncupatiuo & ſolenni.Nam dicimus, Teſtamentum

militis eſt ſententia ultimæ uoluntatis, Teſtamentũ nuncupatiuũ eſt ſentẽtia ultimæ uoluntatis. Sic defenſio pupilli, qui per ætatẽ minime poteſt ſe defendere (agnoſcis rurſus differentiam cum genere) prædicatur de teſtamentaria legitima, datiua, fiduciaria tutela. Sic migratio in alienam familiam prædicatur de arrogatione & adoptione. Cæterum, ſpecies indiuiduis tantum tribuitur, ut hoc mutuum eſt mutuum naturale, hæc exceptio eſt exceptio dilatoria. Hæc ſeruitus eſt realis ſeruitus. Hoc imperiũ eſt merũ, eſt mixtũ imperiũ. ꝓpriũ uerò tribuitur ſpeciei cuius eſt propriũ: ut uulgaris ſubſtitutionis ꝓpriũ eſt, ſecũdo hæredi hæreditatẽ deferre. §. 1. Inſtit. de uulga. ſubſtitu. Mutui proprium eſt, ut non eandem ſpeciem ſed idem genus reddi iubeat l. Mutuum damus. ff. ſi certum petatur. Sic autem fiunt prædicationes, ſubſtitutio uulgaris, ſecundo hæredi hæreditatem defert. Mutuum idem tantum genus reddi poſtulat. Ad extremum accidens & ſpeciebus & indiuiduis attribuitur, ſed non tam neceſſario atq; aliæ uoces attribuũtur: ut fundus Petri eſt cultus, fundus Ioannis eſt incultus: hæc puella eſt bene dotata, hæc puella eſt indotata. En uidet iuuenis quomodo illæ uoces mutuam inter ſe prædicationẽ obtineãt. Qui pleniorem, de mutua quinq; uocum & concordia & diſcordia diſſertationem deſiderat, is Porphirium in libello de quinq; uocibus legat. ego quando uocum, quæ inter ſe mutua cognatione coniunctæ ſunt, rationem iuueni ſtudioſo iuris oſtẽdi, ad eas uoces progrediar, è quibus rerum ipſarum finitio, ſi uſus poſtulet, efferri queat.

DE

DE PRAEDICAMENTIS.

Prædicamentũ, Trapezontio autore, ita finitur: *Prædicamentum eſt terminorũ* qui ſecundũ nullam complexionẽ *dicũtur natura* rerũ ordinatio. hoc eſt, ut obſcuræ *huic finitioni à me* lux quedã inferatur, prædicamẽtum *eſt certa ſeries uocũ* ſimpliciũ pro eo atq; ꝓratione rerũ *& ſignificationũ aliæ* alijs attribuuntur. Nã uocum aliæ *ſunt uniuocæ, aliæ* æquiuocæ, aliæ denominatiuæ. Vniuo*cæ quidẽ illæ uoces* dicũtur, quarũ tam nomẽ quã ſubſtã*tia ſecundũ illud nomen* cõmunia exiſtũt. *Sic ius naturæ & ius gentiũ in nomine iuris conueniunt, nec etiã in ratione diſcrepãt. Nã* utrũq; *ius eſt, illud quod ratio naturalis apud omnes gẽtes cõſtituit. §. quod uerò naturalis, Inſti. de iure naturali. uel eſt illud quod natura hominibus omnibus inſeuit, & cui oẽs hominès aſſentiuntur: ut eſt, neminẽ cũ alterius* detrimẽto debere fieri locupletẽ, in l. *nã hoc natura. ff. de cõdict. indeb. æquiuocæ uerò illæ uoces dicũtur, quæ nomine* quidẽ conueniunt, ſed diuerſam *habẽt finitionẽ. ut* actio perſonalis & actio realis, in no*mine quidẽ actionis* cõueniũt, ſed ratio ſeu finitio utriuſq; *eſt diuerſa*. Etenim actio realis eſt, qua ago in rẽ ut eam *mihi uẽdicare* poſſim: actio perſonalis eſt, qua ago cõtra *perſonam, quæ mihi* aliquid ex aliquo cõtractu debet, §. *nãq; agit, Inſti. de* actionibus. Sic ſeruitus ruſtica & ſer*uitus urbana* nominetenus cõueniunt, ſed re ſeu finitione *diſcrepãt. Nam ſeruitus* ruſtica eſt ius inhærens prædijs *ruſticis. Seruitus ur*bana eſt ius inhærẽs prædijs urbanis. *Vide titulũ Inſti. de* ſeruitutibus &c. Denominatiuæ uo*ces appellantur, quæ ab aliqua uoce deriuatæ* ſolo caſu

differũt. Sic à Cenſu Cenſiti de quibus in Codice de Agri-colis & Cenſitis. Sic à metallis metallarius. ſic ἀπὸ τῆς γυναικὸς Gynæciarij in Codice, hoc eſt qui mulierum ue-ſtes tingebant curabantq́;. En habes quàm uariè res de rebus prædicentur, uel quàm uariè res rebus attri-buantur. uenio ad prædicamẽti Etymologiam. Vno ore Dialectici affirmant, prædicamentum dictum à prædi-cando uel alijs rebus attribuendo. Nam prædicamenta ſunt, penuaria è quibus promi poſſunt uoces, mutuo in-ter ſe cohærentes, ut ex illis finitio conſtetur. Et ſupra quidem in uocũ quinq; prædicabilium expoſitione quoq; quæ uoces inter ſe cohæreant didicimus, ſed ex prædica mentis, uocum quæ inter ſe mutuo copulantur, exem-pla proferentur. Sed quando hactenus prædicamenti & rationem & Etymologiam explicaui, ad numerũ Præ-dicamentorum ueniam.

DE NVMERO PRAEDI camentorum.

Prædicamenta decem eſſe referuntur, nimirũ Subſtã-tia, Quãtitas, Qualitas, ad aliquid uel relatio, ubi, quan-do, ſitus, habere, agere, pati. de quibus ſingulis particu-latim, & quidem quo ad eius fieri poteſt, παχυμερέστερον dicemus.

DE SVBSTANTIA.

Subſtãtia eſt autore Damaſceno, quæ per ſe ſubſiſtit, alio neutiquàm indigẽs, ut ſit dicta à ſubſtãdo, quòd acci dentibus ſubſtet. Ariſtoteles Subſtantiam duplicem recen ſet, primam & ſecundam. Primã uocat nomina indiui-dua ſeu propria: ut Titius, Pomponius, Caius. Secundam & ſpecies

& ſpecies & genera appellat: ut animal,homo,equus, lepus. Subſtantiarum ordines hic paucis referam, tum quòd illos in Dialecticis olim à nobis in lucē datis copioſiſsime retulimus, tum quòd Iuriſconſulti non adeo ἀκριβῶς ferè ſubſtantiam accipiunt, atq; Dialectici facere ſolent. Etenim apud Iuriſconſultos ſubſtantia dicitur etiam ipſum accidens per ſe citra circunſtantias conſideratum. illud ſcilicet, ex quo in eſſe aliquid producitur. Sic dicimus in iure ciuili, preciū eſt de ſubſtantia emptionis, cōmunio eſt de ſubſtantia ſocietatis, Facultas reuocandæ rei, eſt de ſubſtantia precarij. de ſubſtantia cōſuetudinis eſt, tacito populi conſenſu & ſuffragio probari, & recipi, in l. de quibus cauſis. ff. de leg. Sic de ſubſtantia legis eſt, ut aperto populi iudicio approbetur. Sed iam ordines ſubſtantiarum referam, & quidem ut à Iuriſconſultis referuntur.

IVSTITIA.

Humana. Diuina.

Ius humanum.

Ciuile. Gentium ſeu naturale.

Ius Romanorum.

Scriptum. Non ſcriptum.

Lex.

Lex prima. Lex ſecunda.

DE QVAN

DE QVANTITATE.

Quātitas ita ferè à Dialecticis finiri ſolet. Quātitas eſt ſecundū quam quippiā in partes diuiditur: ut milliare in partes diuiditur, in ſemimilliare, dimidiū milliare, pluſquàm dimidiū milliare. uiæ latitudo ex lege duodecim tabularū, porrecta in octo pedes diuiditur fractim, uel flexim in ſedecim.l.uiæ latitudo.ff. de ſeruitu. prædi. ruſti. Sic etiā ager, ſic fundus in certas partes diuiditur. Vide l.ſed & loci. ff.finium regundo.quo in titulo non pauca exempla quātitatis reperiri poſſunt. Ad Quātitatem etiam refer titulum Pandectarum, ſi menſor falſum modū dixerit. Porrò Iuriſconſulti quātitatem accipiunt ſæpe ſimpliciter pro re, quæ quanta ſit, demonſtratur. ut eſt uidere in.l.ſtipulationum. ff.de uerbo. obliga. Qua in ſignificatione etiā ſpeciē uſurpāt iuriſcōſulti, ut annotauit Bartholus in.l.1.C.de Actio.& obliga.

Ariſtoteles duplicem quantitatem eſſe ſcribit, Continuam & Diſcretam.

Cōtinua eſt, ut ſimpliciſſime finiā (nā Ariſtotelica finitio argutior eſt, quàm ut illā iuuenes facile intelligāt) quæ oſtēdit quāta ſit res. Sic enim Fabius illam quātitatis ſpeciē finit libro.3. quātitatem quæ dupliciter à poſterioribus diuiſa eſt, quàm magnum. ubi continuam quantitatem finit: ut quæ (ut iam diximus) oſtendit quàm magna, quàm parua ſit res. cuius ſpecies numerantur:

Linea,
Superficies,
Corpus.
Plerique addunt Tempus & locum.

Linea

Linea eſt, autore Carolo Bouillo, in introductorio Geometrico, ſuperficiei terminus, cui ſolū ſecundū lōgitudinē partes ſunt. hoc eſt, linea eſt res, tantū in lōgitudinem menſurabilis. ut eſt pertica quæ uicenos pedes, aut ut alij uolūt, uicenos quinos pedes cōtinet. Decēpeda, decem pedes: qua uoce uſus eſt Cicero in oratione pro Milone. inde decempedator. Quinquepeda, quinos pedes habet. de qua ita Martialis in apophoretis.

Puncta notis Ilex, acuta cuſpide clauſa
Sæpe redemptoris prodere furta ſolet.

Stadium pedes ſexcentos, aut ut alij contendunt, centum uigintiquinq;.

Plethrum centenos pedes.

Diaulus duorum ſtadiorum menſura.

Miliarium ſtadiorum octo uel mille paſſus, qui non à muro urbis ſed à continentibus ædificijs numerandi ſunt. l. mille paſſus. ff. de uerbo. ſignifica.

Schoenus apud Egyptios ſexaginta ſtadiorum, autore Herodoto.

Paraſanga apud Perſas triginta ſtadiorum.

Orgyia ſex pedum, ut ſcribit Herodotus, Sed ut Suidas uult, ſignificat, eyne Klaffter.

Paſſus quinq; pedum.

Greſſus duos pedes, & Semiſſem continet.

Cubitum ſeſquipedale eſt, digitos uiginti quatuor complectens.

Pes quatuor palmorum eſt, aut ſedecim digitorum.

Palmus quatuor digitorum & hic minor, nam maior eſt duodecim digitorum, qui alioqui uel dodrans uel Græco

uocabulo

uocabulo σπιθαμή *uocatur, Germanice, eyne ſpanne.*

Vncia, autore Boëtio*, pro digito ac quadrante digiti accipitur, quem pollicem noſtri uocant, hinc unciales literæ, autore diuo* Hieronymo *dicuntur, quæ pollicis craßitudine exaratæ ſunt.*

Digitus à pleriſq; æſtimatur latitudine quatuor granorum, cuius hæc eſt menſura. – – – –

Dolichus ſtadiorum duodecim.

Dupondium pro duobus pedibus apud Columellam *reperio.*

Sthatmus, id eſt manſio, miliaria habet uiginti octo ſemis, de quo in §*. ſi igitur in* Autē*. ut* om*. obe.*

Manſum eſt uox proculcata, qua tantum agri ſignificatur, quantum ſingulis annis par boum arare poteſt.

Hæc & talia ad lineam referri poſſunt, quæ duobus nominibus hic & retuli & explicaui. Tum *ut quæ ad lineam referuntur, iuuenes intelligant, tum ut ex uocibus illis explicatis, pleraq; in autoribus latinis, & etiam legibus probe intelligantur.* Sequitur *ſuperficies.*

DE SVPERFICIE.

Q*uæ eſt* Terminus *corporis, cuius & ſecundū longitudinem & latitudinem eſt ſumere partes. ut* Bartholus *ſuperficiem finit.* Exēpla *ſunt ager, pratum, fundus, domus, prædium, pagus, area, uia.* Breuiter *omnia quæ in longum & latum menſurabilia exiſtunt,* Iuriſconſulti *ſuperficiem accipiunt, pro omni quod ſupra faciem terræ eſt.* Iccirco *in prædijs urbanis tam parietes quàm tecta: in ruſticis, arbores, herbæ, frutices, ſuperficiei adnumerant.* ſuccedit *corpus.*

QVID

QVID CORPVS.

Corpus finitur eſſe illud, quod in longũ, latum, profundum metitur: ut ſunt triangularia, pyramides: ut ſunt, quadrata, Teſſeræ, Cubi, & ſi quæ huius gregis ſunt. Illis ſpeciebus continuæ quantitatis Ariſtoteles locum & tempus accẽſet.

Locum uerò in præſentia uocamus, autore Boëtio, quodcunq; illud eſt quod partes alicuius corporis, id eſt res in longũ, latũ, profundũ mẽſurabiles cõplectitur, ſiue ſupra ſiue à latere ſiue ſubter ſit. Sic area ſuper quam domus aliqua extructa eſt, locus appellatur. ſic Apotheca, dolia, ſerias & alia uaſa uinaria recipiẽs, locus uocatur.

Tẽpus, ut craſſiſſime finiam, eſt ex cœli ſolisq; uertigine deductũ ſpaciũ, quo rerũ omniũ agitationẽ uiciſſitudinẽq; metimur. Ita ferè finit Themiſtius paraphraſtes in libro Ariſtotelis de Phiſica auſcultatione quarto: tempus eſſe quãtitatem, illud autore Boëtio, arguit, quòd in longitudine & breuitate conſideratur. Locus & tempus in iure res & grauãt & eleuãt. Sic in l. aut facta. §. locus & tempus. ff. de pœnis, ita memoriæ proditum eſt. Locus facit ut idẽ uel furtum uel ſacrilegiũ ſit, & capite luendũ & minori ſupplicio. Tẽpus diſcernit, emãſorem à fugitiuo & effractorem uel furem diurnũ à nocturno. Sed his de rebus in prædicamentis, ubi, & quãdo cõmodius dicetur. ueniamus nunc ad diſcretam Quantitatem.

DISCRETA QVANTITAS.

Diſcreta quãtitas eſt; quæ oſtẽdit quot res ſunt numero, uel quàm multæ ſunt res. Sic enim inquit Fabius lib. 3. Quantitatem quæ dupliciter à poſterioribus diuiſa eſt,

quàm

quàm magnum & quàm multum ſit huius. Quantitatis ſpecies eſſe dicuntur, Numerus & oratio.

Numerus, autore Boëtio, in Arithmetica, eſt multitudo ex unitatibus cõgregata. ſic bis duo faciunt quatuor, bis quatuor octo &c. Huc referri poſſunt uocabula rei nummariæ, ut eſt as, qui ualebat tribus nummulis, marchicis ſeu Miſnicis aut certe paulo plus.

Non deſunt qui duos aſſes æſtimant duobus cruciatis & ſemiſſe denarioli, à quo promanant.

Beßis		2	
Treßis		3	
Quadraßis		4	
Nonaßis	pro	9	aßibus
Decußis		10	
Viceßis		20	
Triceßis		30	
Centußis		100	

PARTES ASSIS SVNT.

As	12	Vnciæ
Quadrans	3	
Triens	4	
Semis	6	
Bes	8	In has aßis partes
Dodrans	9	Hæreditas diuiditur, §. Hæreditas Inſti. de Hæredib. inſtituendis.
Dextans	10	
Quincunx	5	
Deunx	11	
Septunx	7	
Sextanx	2	
Vncia	1	Seſtertius

Digitized by Google

Seſtertius & nummus idem Romanis ſignificabant, quē pleriq; groſſo marchico taxāt. Obolus eſt quinq; nummulorum, marchicorum cum eiuſdem triente, hic obeliſci imaginem præ ſe ferebat. Seſtertia genere neu tro pluralis numeri mille ualent minas, aut quod idem eſt.250.denarijs.

Dupondus, cuius in iure ciuili crebra eſt mentio, dicitur eſſe hæreditas,ī uigintiquatuor uncias diuiſa, ut eſt glo. in uerbo dupondio §.& ſi.Inſti.de hæred.inſtitu.

Hæc quia in iure ciuili ualde crebro occurrunt referre hic obiter uolui, qui de uocabulis rei nummariæ plura ſcire uolet, is Budæum & Leonardum Portiū legat. Redeo ad diſcretam quantitatem, cuius ſpeciem unam eſſe diximus,numerum.Pleriq; orationem addunt,quam diſcretam quoque quantitatem eſſe,hoc argumento colligitur:omnis oratio ex nomine & uerbo conſtat,ſed hæc ſyllabis conſtituitur,omnis autem ſyllaba, uel longa uel breuis eſt,longum uerò uel breue ſine dubio quātitas eſt, proinde oratio eſt Quantitas.

VSVS HVIVS PRAEDICAMENTI.

Vſus huius prædicamenti eſt, quòd ſi iuriconſulto forſitan aliqua res menſurabilis finienda ſit,ex hoc prædicamento illius finitionem eruere poſſit.uerbi gratia, ſi diſputatio ſit, quid ſit milliarium, quod, quando ſub linea ſpecie Quantitatis continuæ comprehenditur, ita illico finiri poterit. milliarium eſt illud quod in longum menſuratur. ſic ſi uia iuriſconſulto finitione quali quali tandem exprimenda eſſet, quæ quia ſub ſuperficie complecti poteſt, ita finitur: uia eſt, quod in latum & lon=

gum,menſurabile exiſtit.Nam uiæ latitudo ex l.tabularum 12.porrecta in octo pedes diuiditur, flexim in ſedecim,l.uiæ latitudo ff.de ſeruitut.prædi.urbanorum, exempla alia iuuenis ſtudioſus ſuopte ,ut dicitur ,marte confinget & obſeruabit.

DE QVALITATE.

Qualitas ita ferè finitur . qualitas eſt,ſecundũ quam quales eſſe dicuntur homines. ut iuriſprudentes appellãtur à iuris ciuilis prudentia . Iuriſconſulti uocantur à iure publice & interpretandi iura & reſpondendi de iure §.Reſponſa prudentum Inſti.de iure natur. Aduocati uocantur quòd aduocationibus & agendis cauſis, quoquo modo operantur, l. præſens §. aduocatos ff. de extraordi.cognitio. Huc accommodari poteſt regula, Quilibet ab eo nomẽ ſortitur quod principaliter agit. Qualitatis ſpecies quatuor ab Ariſtotele recenſentur quarum prima eſt, habitus & diſpoſitio, uel ut Græcis uocibus utar ἕξις καὶ διάθεσις.

QVID HABITVS.

Habitus, autore Cicerone lib.1.de inuentione, eſt uel animi uel corporis,cõſtans & abſoluta aliqua in re perfectio.ut uirtutis aut artis perceptio alicuius,aut quælibet ſcientia. Item corporis aliqua cõmoditas non natura data ſed ſtudio & induſtria cõparata . Huc refer omnes uirtutum artiumq; ſpecies,quas in prioribus noſtris dialecticis ordine referimus & illas ueluti uno faſce complexas reperies, in oratione Politiani, quam Panepiſtemon inſcripſit.Huc refertur iuriſprudentia, quæ eſt ars æqui & boni,§.iuriſprudentia Inſti.de iuſtitia & iure.

DE

DE DISPOSITIONE.

Diſpoſitio eſt qualitas quædam uel animi uel corporis in aliquo elucēſcens, ſed nondum magno uſu corroborata & confirmata. Sic in multis iuuenibus diſpoſitio quædam, & indoles quædam felix ad ius ciuile apparet, quæ ubi longe & tēpore & uſu corroboratur, & perfecta fit, habitus nomē induit. ex quo facile eſt cognoſcere ꝗ, is qui habitū rei habet, diſpoſitionē quoq; habeat, ſed non contra argumento §. uia, Inſti. de ſeruitute ruſticorum prædi. Nam ut uia, iter & actum in ſe continet, ita & habitus diſpoſitionem in ſe complectitur. Ad diſpoſitionem Baccalaureus iuris referri poteſt, quem Alciatus noſtri ſeculi Sceuola ſcholaſtico ordini, id eſt illorum qui nondū plene in iure progreſſi ſunt, nec habitum comparàrunt, proximiorem, quàm doctorum exiſtimat.

SECVNDA SPECIES Qualitatis.

Secunda ſpecies qualitatis appellatur ab Ariſtotele φυσικὴ δύναμις καὶ ἡ ἀδυναμία, id eſt naturalis potentia ſeu facultas & impotētia. Naturalis potētia ſeu facultas eſt quædā prōptitudo aliquid faciūdi nō induſtria nō ſtudio cōparata, ſed natura nobis indita. Nam pleriq; natura ad hoc uel illud faciendū propēdent. ecōtrario impotētia naturalis eſt imprōptitudo faciūdi aliquid uel uis à natura nobis negata. Sic pubertas, in pupillis facit, ut pupilli à tutela liberentur, §. pupilli, Inſti. quibus modis tutela finiatur. Sic ſenes, ꝗ illis deſit calor natiuus, matrimonium nō inire debere iudicantur, ſed ſecus iure cautū eſt l. ſancimus C. de nuptijs. Sic qui frigidi & impotentes

ſunt, minime matrimoniũ contrahere poſſunt, in c. quod ſedẽ. de frig. & maleſi. Sic caſtrati adoptare nõ poſſunt, §. & illud, Inſt. de adop. Sic impuberes Teſtamentũ facere nõ poſſunt, quia nullũ eorũ animi iudiciũ eſt, §. præterea, Inſt. quibus nõ eſt permiſſum facere teſtamentũ. Sic ſurdus qui omnino nõ audit, Sic mutus qui omnino non loqui poteſt, teſtamenti factione priuatur, §. nam ſurdus Inſti. quibus non &c.

TERTIA SPECIES QVALITATIS.

Sub tertia qualitatis ſpecie cõprehendũtur παθητικαὶ ποιότητες καὶ πάθη, *id eſt paſſibiles qualitates & paſſiones, ſeu adfectiones. Paſſibiles qualitates appellantur illæ quæ ſenſibus aliquã paſſionẽ ingerũt, uel ſenſus mouent, ut tabulæ uel ligneæ ſiue cuiuſcunq; alterius materiæ. Itẽ chartæ, ſiue mẽbranæ, ĩ qbus teſtamẽtũ ſcribitur l. 1. ff. de bono. poſ. ſecundũ tabulas: in oculos incurrentes, uiſum mouent. Porrò paſſiones ſunt tẽporaneæ & ueloces animi adfectiones. Sic dicimus aliquem efferbuiſſe ira, metu trepidaſſe, amore exarſiſſe. quæ paſſiones à paſſibilibus qualitatibus diſcrepant, quòd hæ perpetuo durent: illæ facile euaneſcant & pereant. Huc accõmodari poteſt regula illa iuris. Quicquid in calore iracundiæ uel fit uel dicitur, non prius ratum eſt, quàm ſi perſeuerantia apparuerit iudiciũ animi fuiſſe, l. quicquid ff. de regulis iuris. nam iracundia paſſio quoq; eſt, quæ ut ſubito oritur, ita ſubito quoque deperit. Sic metus quoque leuis paſſio eſt, quæ facit mentẽ trepidare propter inſtans uel finitimum periculum l. 1. ff. Quod metus cauſa. proinde quod metus cauſa geſtũ eſt, ratũ non haberi inquit prætor. Sic dolor*

eſt

Digitized by Google

eſt paßio, quæ ut facile impellit animum, ita facile quoq; animo excidit, quæ paßio ſæpe etiam in criminibus commißis excuſat. ſed harenam metiri uelle uideor, quòd omnes adfectus uel affectiones, hic referre ſtudeo, de quibus ſi quis plura ſcire cupit, is legat Ariſtotelem in libro Rhetoricorum primo, & Ciceronem in 4. Tuſcula. Eſt autem iuriſconſulto adfectuum ratio non negligenda, ſiquidem ut & paucis iam oſtendi, illorum in iure magnus reſpectus habetur.

QVARTA QVALITATIS SPECIES.

Ariſtoteles quartã qualitatis ſpeciẽ χῆμα καὶ μόρφην eſſe ſcribit. χῆμα uel figura eſt totus habitus uel forma rei. Sic figura hominis eſt modus & factura quædam totius corporis humani, à fingendo dicta. Gellius faciẽ appellat, quæ figura uel facies, quãdo oĩbus membris inter ſe cõſiſtentibus ornata eſt, forma appellatur. figura ſeu facies deſcripta eſt quum Plautus in penulo ait:

Sed earum nutrix, qua ſit facie mihi expedi,
Statura non magna, corpore aquiloſo.

Forma mox deſcribitur:

Ipſe eſt ſpecie uenuſta &c.

Forma ergo proprie uenuſtas & pulchritudo rei dicitur. Sic bona forma apud Terentiũ & apud Euripidem, fama mulieris, non forma uulgata eſſe debet. figura uerò pro rerũ factura uſurpatur, ut figura hominis. quãquàm hæc uocabula ſæpe cõfundũtur, ita quòd forma pro figura, & figura pro forma accipiatur. Sic Gellius in Plauti uerſib. paulo ante à me relatis, formã deſcriptã autumat. huius ſpeciei qualitatis in iure ciuili, ut mea fert ſenten-

tia, non ita plura exẽpla reperiemus. Hoc *in iure ciuili celebre eſt, in rei immobilis petitiõe, formã & figurã rei deſcribendã eſſe, ut eſt uidere in l. forma ff. de cenſibus, & l. ſi in rem, in fi. ff. de rei uendica. formæ uerò & figuræ qua in rerum immobiliũ petitione utendũ eſt, deſcriptio, ex prædicamento qualitatis oritur.* Sic *figura iudicij appellatur, quòd partes iudicij ſunt factæ, pro eo atq; poſtulat ordo debitus & debita probatio ſeu propoſitio, ut* Bartholus *in* Extrauagan. *annotauit.*

DE RELATIONE.

Relatio *eſt mutuus rerũ inter ſe reſpectus.* Sic *actor habet reſpectũ mutuũ ad reũ, & uiciſſim reus ad actorẽ. ſic locator habet mutuũ reſpectũ ad cõductorẽ & econtrario, conductor ad locatorẽ. unde* Thomas Aquinas *in* Dialecticis *ſuis monet, in relatione duo eſſe ſpectanda, fundamentũ & terminũ.* Fundamentũ *eſt illud à quo oritur relatio.* Terminus *res ad quam fit relatio.* Verbi *gratia, in uſufructu fundamentũ eſt res, quæ in uſumfructũ datur.* Terminus, *q; poſſum re illa uti frui, ſalua eius ſubſtantia, in uſucapione fundamentũ eſt res aliqua mobilis, honeſto titulo cõparata,* Terminus, *quod elapſo triennio illius dominiũ acquiro, §. iure ciuili,* Inſtit. *de uſucap. & præſcrip.* Sic *in cõtractu emptionis & uẽditionis, fundamentũ, id eſt, origo cõtractus, eſt uenditio, & reſpicit terminũ emptorẽ.* Porrò *hoc prædicamẽtũ ſe in oĩa prædicamenta porrigit, ſic in ſubſtãtia ſe mutuo reſpiciunt actiones & paſſiones, ſic pater ad filiũ reſpicit, nam ille gignit hic gignitur, ſic terra reſpicit fructũ quẽ ꝑducit. et huiuſmodi naturales actiões ſunt.* Venio *ad uolũtarias*

ſubſtan

ſubſtātiarū actiones, & maxime ad actiones ſubſtantiæ hominis, cuius uolūtariæ actiones ſunt, quando homo cū homine cōtractum init. ſic ſe mutuo reſpiciunt contractus ex iure gentium promanantes,

Actio	*Defenſio,*	*Emptio*	*Venditio,*
Cōmodatum,	*Locatio*	*Conductio,*	*Creditum &*
Debitum,	*Societas,*	*Depoſitum,*	*Mutuum.*

Cōtractus matrimonialis, Negociorū geſtorū, mandatū. Huc refer etiā contractus ex iure ciuili ortos, ut ſunt:

Stipulatio,
Literarum obligatio,
Emphyteoticus contractus,
Contractus ſponſalitiæ largitatis.

Ex illis contractibus oriuntur etiam relationes inter nomina iſta.

Actor	*Defenſor,*	*Commodans*
Cōmodatarius,	*Emptor*	*Venditor,*
Creditor	*Debitor,*	*Locator*
Conductor,	*Maritus*	*Vxor,*
Socius	*Conſocius,*	*Socer*
Socrus,	*Deponens*	*Depoſitarius,*
Gener	*Nurus,*	*Mutuans*
Mutuo accipiēs,	*Mandator*	*Mandatarius,*

Negociorum geſtor, & is cuius negocia geſta ſunt.

Reus ſtipulandi	*Reus promittendi,*
Apochæ compoſitor	*Antapochæ dator,*
Dominus	*Emphyteota.*

Ex ſubſtantia ſumuntur iſtorum nominum ralationes in iure ciuili.

Pater, *filius,* Nepos, Libertus, *præceptor,*
Mater, Filia, Neptis, Patronus, Diſcipulus,
Seruus, Dominus.

Sic cōſtruntur legislator lex, Magiſtratus ciuitas,
Legator *Legatarius,*
Teſtator *Teſtamentarius.*

Ex *Qualitate ſumuntur iſtæ relationes:*
Iuſtitia diuina *Humana,*
Ius ſcriptum *Ius non ſcriptum,*
Ius humanum *Ius diuinum,*
Pubertas, *Liberatio à tutela,*
Impubes, *Nullius teſtamenti factio,*
Frigiditas corporis, *Inidoneitas ad matrimonium.*

Ex *Quantitate oriuntur relationes.*
Fundus paruus *Fundus magnus,* *Vinea decliuis*
Vinea accliuis, *Ager latus* *Ager anguſtus,*
Miliarium magnum Miliarium paruum,
Numerus par *Numerus impar.*

Ex *actione & paſſione ſumuntur hæ relationes.*

Accuſare Accuſari, Iniuriam inferre Iniuriam accipere, Verberare Verberari, *Contumelia adficere* Contumelijs *adfici.*

Ex *ubi depromūtur hæ relationes,* Locus Montoſus, Planus, Maritimus, Conſitus, Incultus, Frequens &c. E *Quando hæ relationes petuntur, nox, dies, meridies, hora, ſemihora, mane, ueſperi.* Ex Habitu *manant hæ relationes, habitus* Romanus, *habitus* Græcus.

DE ACTIONE.

Actio ita à Gilberto Porretano *finitur :* Actio *eſt ſecūdum*

ſecūdū quā in id quod ſubijcitur agere dicimur. ſic dum medicus ſeruū ſecat agere dicitur in ſeruū, quē ſi imperite ſecat, uel ex locato, uel ex lege Aquilia cōueniri poteſt, l. Qui actione §. Proculus ait ff. ad l. Aquiliā. Itē uerberare ſeruū, prælegere Pādectas, caſtigare diſcipulū, nā leuis caſtigatio cōceſſa eſt docēti, l. ſed & ſi §. præponitur autē ff. ad l. Aquiliā. agere iumētū, uel uehiculū, per pratum, per agrū alterius, in parietē uicini tignū immittere, officere ædificādo alterius luminibus, pecus ad aquam per fundū Sempronij appellere, paſcere pecora in prato alieno, arenā fodere i alterius arenæ fodina, Teſtamētariū aliquē inſtituere, poſtulare ꝓ aliquo, attētare alicuius pudicitiā. exēpla alia iuuenis i iure ciuili facile obſeruabit.

DE PASSIONE.

Paſsio eſt illatio effectusq; actionis, id eſt id quod cōſequitur, & efficitur ex actiōe. ut uerberari, occidi imperitia medici, quæ culpæ adnumeratur, §. prætereá Inſti. ad legē aquiliā. recipere in domū ſuā ſtillicidiū aut flumē, pati alterū in agro ſuo iumēta paſcere, ſtuprari ab aliquo, eluſcari ab aliquo, dum percutimur, de qua ſpecie uide l. & ſi quē §. ꝓponitur aūt ff. ad l. Aquiliā. Infamia notari, poſtulari ad iudiciū. Sic in iure uulgatū eſt, factionem teſtamēti cū ſeruo paſſiuā eſſe, hoc eſt, ſeruū inſtitui quidem in teſtamēto poſſe, ſed inſtituere nō poſſe, §. Teſtamēti inſtitutio, de hæred. inſti. Sic & corruptio uſusfructus dicitur, in l. corruptionem. C. de uſu & habita.

DE PRAEDICAMENTO QVANDO.

Quādo eſt aliqua res quæ in tēpore ſit, fuit, aut futura eſt. Nō enim tempus eſt quādo, quāquàm affinia plane

ſunt & germana, autore Gilberto Porretano. ut cũ ſtipulatio facta eſt, quæritur quãdo facta ſit, an pure et ſtatim, an in diẽ, § .oĩs ſtipulatio Inſti. de uerb. oblig. Itẽ ſi qs miles priuilegiũ, qđ in militia degẽtibus in teſtamẽto cõdẽdo cõceſſum eſt, iactitat, quæritur quãdo Teſtamẽtũ à milite factũ ſit, an dũ in expeditione occupatus fuit, an citra expeditionis neceſſitatẽ, in alijs locis, uel ſuis ædibus degerit. Sic in iure ciuili diſputatur, an is qui in diem debet, ſit proprie debitor. ff. de uerbo. & rerum ſignifica. Item in iure diſputatur, an ſi ancilla prægnans manumiſſa ſit, deinde ancilla poſtea facta peperit, liberũ an ſeruum pariat. uide § .ſi quis, Inſt. de ingenuis. Exẽpla huius prædicamẽti multa ſunt in Titulo pandectarum de re iudi. Itẽ in Titulo de diuerſis & tempor. præſcrip.

DE VBI.

Vbi eſt rem aliquo loco circũſcribi, nã ubi loca ſignificat quatenus corpora complectuntur nõ quatenus loca uel ædificia denotãt, ut in agro eſſe, ſic in l. in agris. ff. de acqui. re. domi. in agris limitatis ius alluuionis locũ non habere conſtat. Item in domo eſſe, in uinea eſſe, in balneo in theatro uerſari, l. ſed & is. ff. de in ius uocan.

Sed & is qui domi eſt, interdũ in ius uocari poteſt, tamen de domo ſua nemo extrahi debet, in l. ſed etiã, ff. eo. ſed etiam à uinea & balneo & theatro nemo dubitat, in ius uocare licere. Item eſſe in eccleſia uel cõfugere ad ſacroſanctas eccleſiãs, unde nemo inuitus extrahi debet, in l. fideli deuotione, C. de his qui ad eccle. confugiunt. In ciuitate poſitũ eſſe aliquid, in l. ſtatuas. ff. de aqui. re. domi. Statuas in ciuitate poſitas ciuium non eſſe, Trebatius &

Pegaſius aiunt. Exempla huius prædicamenti in iure ciuili ſunt innumera. Sic diſputant Iuriſconſulti, quid iuris ſit, ſi quis certo loco debitum ſoluere promiſerit, & dein de alio loco ſoluere conſtituat. Cuius farinæ themata, etiam ad prædicamentũ hoc referri poſſunt, uide de hac iam dicta ſpecie, l. eum qui, ff. de conſti. pecu.

DE SITV.

Situs eſt poſitio partium corporis ut ſtare, ſedere, recumbere. Sic iura ciuilia ſtatuunt, ut iudex ſedendo ſententiam ferat.

DE HABITV.

Sub nomine habitus comprehẽdimus omnia ueſtium genera quibus corpus obtegimus. ut eſt tunica, pallium, thorax, caligæ, calcei. De ueſtibus uide l. ueſtis ff. de auro & argento. & ea quæ in iſtam l. ſcripſit doctiſſimus uir. Lazarus Bayſius. huc etiam arma referuntur. at armorum appellatio non utiq; tantum ſcuta, & gladios & galeas comprehendit, ſed & fuſtes lapides in l. armorum appellatio ff. de uerbo. ſignifica.

DE POSTPRAEDICAMENTIS.

Poſtprædicamẽta aliud ſunt nihil, quàm uocũ ambiguarum explicatio. de quibus Ariſtoteles abſoluta diſputatione de prædicamẽtis diſſerit, & oſtendit in prædicamentis, uocũ ambiguitatẽ etiã atq; etiã uitandã eſſe. Inter alia poſtprædicamẽta, eſt Prius, quod quatuor modis dicitur. Primo quidem id quod ſecundum tempus altero prius eſt. ſic ius naturale ſeu gentiũ eſt prius iure ciuili, in § ſingulorũ, Inſti. de rerũ diui. Theodoſius fuit prior Iuſtiniano. Secundo aliquid alio eſt prius ordine naturæ, ſic

ſic cauſa effectu prior exiſtit. Sic cõtractus prior eſt obligatione, nã ex cõtractu oritur obligatio. Obligatio prior actione, nã ex obligatione actio ꝓmanat, l. licet. ff. de ꝓcura. Tertio id dicitur altero prius, quod altero præſtatius & melius eſt. Sic perſonæ priores ſunt iure, id eſt præſtãtiores & excellẽtiores, nã parum eſt ius noſcere ſi perſonæ quarũ cauſa ius cõſtitutũ eſt ignorẽtur, §. omne aũt. Inſt. de iure perſo. Sic homo eſt prior animãtibus aliis, id eſt excellit animãtia alia. l. iuſtiſſime. ff. de ædilitio edicto. Quarto aliquid eſt altero prius ordine, ſic genera ſunt priora ſpeciebus. Sic ciuile officiũ prius eſt publico & priuato, ut eſt uidere in l. 1. ff. ad Velleiã. & in l. 1. cũ Gloſſa in uerbo ciuilia. C. de profeſſo. & medi. lib. 10.

DE OPPOSITIS.

Oppoſita quadrupliciter dicũtur: aut cõtraria, quæ nullo medio inter ſe pugnãt, ut iuſtitia diuina, iuſtitia humana: ius diuinũ, ius ſcriptũ, & differũt à diuerſis. nã diuerſa ſunt quæ habẽt mediũ: ut ſedere, ambulare, mediũ enim eſt accũbere & ſtare: aut relatiuè oppoſita, ut actor & reus, nõ enim eadẽ perſona poteſt agere & actorem & reũ, exceptis tribus iudiciis, iudicio familiæ herciſcũdæ, finiũ regũdorũ, cõmuni diuidũdo. In quibus iudiciis ſingulæ perſonæ, duplex ius habẽt, & agẽtis, & eius qui cũ agitur, l. iudiciũ ff. finiũ regũdorũ. Sic opponũtur conductor & locator, emptor & uẽditor. aut priuatiue oppoſita dicũtur. Priuatio aũt eſt priuatio alicuius in eo, quod natũ eſt id habere: ut mutum eſſe, nõ cuiuſq; eſt, ſed eius quod natũ eſt loqui. ſic ſurdum eſſe nõ cuiuſq; eſt, ſed eius quod audire natũ eſt. priuatiue ergo oppoſita ſunt, mutus &

tus & loquēdi facultate præditus. Surdus & audiēdi facultate pollēs cōtradictoriè oppoſita ſunt, quum id quod in uno negatur in altero adfirmatur. ut ciuitas mutui datione obligari poteſt, l. ciuitas ff. ſi certū peta. ciuitas mutui datione obligari nō poteſt. Itē ſeruitutes prædiorum perpetuas cauſas habere debent, l. foramen. ff. de ſeruitu. ſeruitutes prædiorum perpetuas cauſas non habent.

DE MODIS EORVM
quæ ſunt ſimul.

Primo ſimul aliqua dicūtur, quæ eodē tēpore producūtur. ut gemini, qui eodē tēpore in lucē æduntur. Secūdo ſimul dicūtur quæcūq; mutuo cōuertūtur. ut ſi mandator eſt ergo mandatarius eſt, ſi mandatarius eſt ergo mandator. Tertio ſimul eſſe dicūtur quæ ſub eodem genere collocātur. ut ius priuatum & ius publicum ſimul ſunt, quia ſub eodem genere nempè iure ciuili ponuntur, §. huius ſtudij Inſti. de iuſti. & iur.

DE VSV PRAEDICAMENTORVM.

Paulò ante dictū eſt, prædicamenta ad rerū finitiones cūducere, ꝑinde ſi iuriſcōſulto aliqua res finiēda erit, ex ordinibus prædicamentorū finitionē ꝓducat. exēpla hic nulla ponā, quando ex illis quæ hactenus diximus, nemo nō facile exēpla quæuis obuia definire pōt, modo in quem ordinē res finiēda, referēda ſit animaduertat. Hic dixerit aliquis. Quid tu Iuriſcōſultis præcipis ut rerū finitiones ex decē prædicamētorū ordinibus cōquirāt? an neſcis regulā illā ꝓculcatā? oīs definitio in iure ciuili periculoſa eſt, rarū eſt enim (ſic enim legendum eſt nō parū) ut non ſubuerti poſſit. Reſpōdeo, ſi oīs finitio in iure ciuili periculoſa

culoſa eſt, cur in Pãdectis iuris ciuilis tot rerũ finitiones reperiũtur? quur Bartholus ut illũ præ alijs nominem, in finitionibus rerũ iuris ciuilis tam ſtudioſè tã anxie laborat? Sed quid dicemus ad regulã Vlpiani, quæ omnẽ finitionem in iure ciuili, periculoſam eſſe refert? Accurſius, diffinitionẽ bifariã accipi ſcribit, partim ut diffinitio ſit propria & breuiter cõprehenſa rerũ ſubſtãtiæ enunciatio: quæ, autore Fabio, conſtat genere, ſpecie, differẽtijs, proprijs. partim ut ſit pluriũ rerũ ſummatim facta traditio, quaſiq; ad regulã exacta rerũ doctrina, huiuſmodi finitiones periculoſas eſſe ſcribit, quia patiantur exceptionẽ. Ita Accurſius iſtã regulã intelligit. cui nõ ita illubenter accederẽ, ſi definitio in altero ſignificato quo accipi Accurſius adfirmat, alicubi à me lecta eſſet. Ego de hac regula meã ſententiã dicã, quæ hæc eſt: Omnis finitio in iure ciuili eſt periculoſa, ſi exigatur ad Dialecticas & Philoſophicas finitionũ leges, quæ uolũt ut oĩs finitio, certã rei naturã. per genus differentiã, ſeu propriũ certũ declaret. At in rerũ differẽtijs cognoſcẽdis mirè cæci ſumus. Iuriſcõſultus niſi certã rei, quam definire cupit, differentiã adferat, facile eius finitio, ſi ad Philoſophicarũ finitionũ præſcriptũ exigatur, ſubuerti poſſet. & hoc eſt quod inquit Vlpianus. rarũ enim eſt (Sic enim legẽdum eſſe Budæus oĩs eruditionis anteſignanus exiſtimat, & recte, nam quis ſenſus eſſet ſi parũ legas?) ut nõ ſuberti poſsit. Cæterũ ſi Iuriſcõſultus ꝓ eo atq; põt, omiſſo Philoſophico in rerũ eſſentijs diſquirendis acumine res finiat, adhibito genere, adhibita differẽtia qualicũq;, nõ ſtatim finitiõe ſua periclitabitur. quæ ſi à Philoſopho aliquo re=

prehendatur

Digitized by Google

prehẽdatur quòd certã differentiã nõ cõplectatur, reſpõdere poteſt Iuriſcõſultus, *id quod* Cicero *reſpõdit* Ebutio *dicẽti, ſe nõ deieciſſe* Cecinnã *fundo, ſed obſtitiſſe intrãti, à uerbis recedendũ eſſe, & æquitate iuris utendũ ne non æquitate defenſionis, ſed in una litera ius latuiſſe uideatur.* At *uerò ut* Iuriſcõſultus *habeat fontes, ex quibus rerum ſuarũ finitiones quales quales tandẽ poteſt, hauriat, prædicamẽtorum ordines nõ ſecus ac ungues teneat, qui cuiuslibet rei finiẽdæ rationẽ cõmonſtrabũt.* Porrò Fabius *prima quatuor prædicamẽta, Subſtãtiam, Qualitatem, Quãtitatẽ, relationẽ, ad ſtatus pertinere ſcribit.* Cætera, *actionẽ paßionẽ, ubi, quãdo, ſitũ, habitũ, ad quoſdã locos argumentorũ facere. exẽpli gratia.* Si *de re aliqua ſimplici diſputatio incidit, utputa de ſeruitute, prima quatuor prædicamẽta materiã dicẽdi de ea ſubminiſtrãt.* Nã *ſubſtãtia me admonet, ut quid ſeruitus ſit doceã.* Eſt *aũt ſeruitus ius quoddã inhærẽs prædijs, libertatẽ & ius illorũ diminuẽs.* Ita Bartholus *ſeruitutẽ finit in l. 1. ff. de ſeruitu. ruſti. præd.* Deinde *quãtitas mihi aurẽ uellit, ut diſpiciam quàm multiplex ſit ſeruitus.* Sic *eſt ſeruitus realis, ſeruitus perſonalis, eſt ſeruitus prædiorũ ruſticorum, eſt ſeruitus prædiorũ urbanorũ.* At Qualitas *me monet ut uideã qualis ſit res, hoc eſt quantũ cõmodet uel incommodet habere ſeruitutẽ aliquã.* Poſtremo *relatio me inuitat ut reputem, unde illa res oriatur & quorſum reſpiciat.* Oritur *uerò ſeruitus, ex agro fundo, prato, domo, & reſpicit eò, ut liceat mihi pecora paſcere in agro tuo, aquã ducere per fundum tuum, ire, redire per domum tuã, uel relatio me admonet ut uideam quid rei de qua diſputo*

cum

cum alia quapiã ſimile uel diſsimile exiſtat. Hic uides cur
Fabius dixerit prima quatuor prædicamenta ad ſtatus
pertinere, nã ſubſtãtia & Qualitas pertinẽt ad ſtatũ le-
gitimũ & finitiuũ, & Quãtitas & relatio ad ſtatũ con-
iecturalẽ reſpiciunt. Porrò ultima prædicamẽta ad locos
argumẽtorũ pertinere Fabius ſcribit. Id quod ita ĩtellige.
actio facit ad locũ cauſæ efficientis, ſic in iure ciuili ſæpe
quæritur: Quis autor iniuriarũ, cædis, ſtupri & aliarũ
rerũ ſit. Itẽ an ira an ebrietate, an ab alio uel adfectu uel
uitio res facta, profecta ſit. Paſsio facit ad locũ ab effecti-
bus, ut quàm atrox ĩuria quàm letale uulnus alicui infli
ctũ ſit. Itẽ pertinet ad perſonã eius qui iniuriã paſſus eſt.
Aliter enim punitur qui quicquã in dominum auſus eſt q̃
qui in extraneũ, l. aut facta §. perſona. ff. de pœnis. Vbi
pertinet ad argumẽtũ à loco, qui facit, ut idẽ uel furtũ uel
ſacrilegiũ ſit, & capite luẽdũ uel minori ſupplicio l. aut
facta §. locus. ff. de pœnis, §. & atrox Inſt. de ĩiur. & quã
do pertinet ad locũ à tẽpore qui diſcernit emanſorẽ à fu
gitiuo, & effractorẽ uel furẽ diurnũ à nocturno, l. aut fa
cta § tẽpus, ff. ut ſupra. Situs facit ad argumẽtũ à corpo
ris habitu ductũ. ut ſi quis aut ſtãs aut ſedẽs alios uerbe-
ret, uel aut ſtãtes aut ſedẽtes percutiat, accũbẽtes oppri-
mat. Habitus pertinet ad argumẽtũ à genere armorũ du
ctum: ut an quis aliquẽ, telo, fuſte, lapide, gladio, percuſſe
rit, inuaſerit, uerberarit. En habes ſimpliciſsime quomo-
do ultima prædicamẽta ad quoſdã argumẽtorũ locos cõ
ducãt. Explicatis aũt uocibus ſimplicibus, quinq; uocibus
prædicabilibus, & decẽ prædicamẽtis, nũc ad uoces com
poſitas, hoc eſt propoſitiones explicãdas progrediemur.

LIBER

LIBER II.

DIALECTICAE LEGALIS.

ARISTOTELES *in lib.* περὶ ἑρμηνείας *primo de propoſitionibus diſputaturus earũ partes finit, nomen & uerbum.*

QVID EST NOMEN.

Nomen eſt uox ſine tẽpore cuius partes diuiſæ nihil ſignificant. ut pactum, obligatio, dominium, ſeruitus. & addit Ariſtoteles *ſolum nomẽ rectum in propoſitionem recipi, id quod quidem uerum eſt apud* Dialecticos, *ſed apud* Rhetores *& iuriſconſultos etiam obliqui in propoſitionem recipi poſſunt. Quid enim uetat quòd non tam ſit propoſitio, conſuetudinis eſt interpretari leges, quàm eſt illa, optima legum interpres eſt conſuetudo, in l. ſi de interpretatione ff. de legib.*

QVID VERBVM.

Eſt uox ſignificans cum tempore, cuius nulla pars ſeparata aliquid denotat. & hoc quidem de uerbo ſimplici intelligitur, ſecus eſt in uerbis compoſitis, nam in illis perinde, ut in nominibus compoſitis, partes diuiſæ aliquo modo ſignificant. exempla ſimplicium uerborum ſunt, T*eſtari,* C*auere, donare.*

EXEMPLA COMPOSI- *torum uerborum.*

V*ſucapre, præſcribere, exhibere, conteſtari, deteſtari, atteſtari.* Ariſtoteles *& uerbum præſens ſolum recipi in propoſitionem adfirmat, nam præſens, inquit,*

Digitized by Google

tempus ſolum ait uel negat. id quod etiam Dialecticis conceditur. Apud Rhetores uerò, & iuriſconſultos, & uerba aliorum temporum præter præſentis temporis uerba in propoſitionem accipiuntur. exẽpla de tempore præſenti: error imperitiam detegit, in l. ſi per errorem ff. de iuriſdictio. ius ſibi dicere poteſt nemo, in l. qui in iuriſdictione ff. de iuriſdictio.

Exempla aliorum temporum.

Minores in integrum reſtituerunt, Tutores ſuſpecti accuſati ſunt. Ad hæc Ariſtoteles orationem quam quoq; partem propoſitionis eſſe dicit, ita finit: Oratio eſt uox ſignificatiua cuius partes etiam ſeparatæ ſignificant. ut uenditor emptoris iudicem ſequi ſolet, in l. uenditor ff. ubi quis agere uel conue. de. Ariſtoteles orationem ex nomine & uerbo conſtare dicit, et eam ſolam recipere uerum uel falſum, quæ enunciatiua ſeu indicatiua ſit, Vt quæ adfirmatio primum uel negatio eſt. id quod nos Ariſtoteli concedimus uerum exiſtere apud Dialecticos. ſecus apud Rhetores, apud quos & aliæ orationes aliorum temporum, aut ueræ aut falſæ eſſe poſſe exiſtimantur. Qua in re etiam Ariſtoteles nobis ſuffragatur. exempla orationum, in propoſitionum exemplis adferentur.

DE PROPOSITIONE.

Explicatis partibus propoſitionis uenio ad propoſitionem ipſam, quæ ſic finitur: Propoſitio eſt oratio uerum uel falſum enũcians. unde & ab Ariſtotele ἑρμηνεία uocatur, id eſt enunciatio. Verum eſt, autore Thoma Aquinate, quãdo res ita ab intellectu noſtro cõprehẽditur,

ut eſt

Digitized by Google

ut eſt in rerũ natura, id eſt ut per ſe eſt, ecõtrario falſum eſt quando intellectus, in rei cõprehenſione errat. Exempla iſtorũ, cum dicimus iuſtitia eſt uirtus, eſt oratio uerũ ſignificans, nam ut res eſt ita quoq; ab intellectu cõprehenditur. Itẽ dum dico, emptio eſt cõtractus, eſt oratio uerum ſignificans, quia res ita ab intellectu comprehenſa enunciatur, ut eſt per ſe. At cũ dico iuſtitia eſt uitiũ, oratio eſt falſa, etenim eſt oratio in qua res falſo ab intellectu cõprehenſa enũciatur. ſic cũ dico, ius ciuile eſt præſtãtius iure naturali ſeu gentiũ, rurſus oratio eſt falſa, nã ſecus quàm ſe habet res intellectus noſter illam intelligit.

DIVISIO PROPOSITIONVM.

Propoſitionum alia eſt Categorica: alia Hypothetica. de Hypothetica paulò poſt dicemus. de Categorica iam ſermo nobis erit.

QVID CATEGORICA propoſitio.

Categorica propoſitio eſt oratio in qua aliquid alteri ſimpliciter tribuitur, à κατηγορέω id eſt prædico, attribuo. Ariſtoteles illam propoſitionem uocat de ineſſe quod in hoc genere propoſitionis, aliquid ſimpliciter alteri ineſſe ſignificatur. & cõſtat ſubiecto & prædicato & copula. quòd ſi plures quàm tres uoces erunt, propoſitionẽ quoq; eſſe nihil impediet. ſubiectũ eſt illud de quo aliquid dicitur. prædicatum eſt illud quod dicitur de ſubiecto. copula eſt uerbum ſubſtantiuum inter ſubiectũ & prædicatũ, ut, ſocietas eſt cõtractus. Societas eſt ſubiectũ, cui tribuitur prædicatũ cõtractus, eſt copulæ uicẽ occupat. Sic nouatio tollit obligationem, §. præterea Inſtit.

Digitized by Google

Quibus modis toll.oblig. Mandatum contra bonos mores non eſt obligatorium § *.illud quoq;,Inſti.manda. Libertas eſt res fauorabilis l.libertas ff.de regulis iuris.*

ALIA DIVISIO

Propoſitionum.

Propoſitionum alia eſt adfirmatiua alia negatiua. Adfirmatiua eſt in qua prædicatum adfirmatur ſubiecto inhærere.ut rei ſunt fauorabiles l.fauorabiliores,ff.de regulis iuris,ubi reo ſubiecto adfirmatur inhærere fauor. Muri & portæ ciuitatis ſanctæ res ſunt, § *.ſanctæ,Inſti. de rerum diuiſione. Domus eſt cuique tutiſſimum refugium l. pleriq; ff.de in ius uocan. Negatiua propoſitio eſt in qua prædicatum negatur inhærere & ineſſe uel attribui ſubiecto.quod diuini iuris eſt,in nullius eſt bonis* § *.nullius, Inſti. de rerũ diui.uſufructuarius non eſt poſſeſſor, l.ſciendum eſt ff. qui ſatis dare cog. priuilegium non facit ius,l. quæ ex relationibus C.de legib.Chirographum non probat debitum,l.ſuper chirographarijs C. ſi certum petatur.*

ALIA DIVISIO

Propoſitionum.

Propoſitio alia eſt uniuerſalis,alia eſt particularis, alia eſt indefinita, alia eſt ſingularis. Vniuerſalis eſt, in qua ſubiecto præponitur ſignũ uniuerſale:ut omnis nemo nõ,quis nõ,nihil nõ,quantũ eſt rerũ. de quibus ſignis uide Eraſmũ in primo cõmentario de copia uerborũ, ut omne quod ſolo ædificatur ſolo cedit, § *.cũ in ſuo,Inſt.de rerũ diui.Nullũ nõ plantatũ ſolo cedit,* § *. ſi Titius.Inſti. ut ſupra.quæ nõ fœmina ab officio argentarij remota uidetur*

detur: l. fœminæ ff. de eden. quantum eſt exceptionum dilatoriarũ ad tempus liti nocent, §. tẽporales, Inſt. de excep. Nemini nõ licet cõtẽnere hæc quæ pro ſe introducta ſunt, l. ſi iudex ff. de minoribus. Nihil nõ per alluuionem agro tuo à flumine adiectũ tibi acquiritur, §. prætерea, Inſt. de rerũ diui. Particularis propoſitio eſt in qua ſubiecto ſignũ particulare præponitur: ut quidã, quædã, quodam, aliquis, aliqua, aliquod, nonnihil, nõnullus, pleriq;: ut quædã exceptio dilatoria aliquãdo uim peremptoriæ ſibi uendicat, quidam contractus actionẽ ex præſcriptis uerbis pariunt: ut ſunt do ut des, facio ut facias, do ut facias, l. naturaliter §. 2. 3. & 4. ff. de præſcrip. Nonnullæ actiones poſt litem cõteſtatã triennio abſoluẽdæ ſunt, ut ciuiles, l. propemodum C. de iudi. Pleræq; actiones biennio abſolui debent: ut criminales, l. eadẽ, C. ubi ſupra.

Indefinita eſt cuius ſubiectũ citra ſignũ aliquod profertur: ut nouatio tollit obligationem, uiri lugere uxores non cõpelluntur, l. uxores ff. de his qui notãtur infa. Occupantis melior eſt conditio, l. ſi quis ff. de noxa actio. Hanc propoſitionẽ Valla uniuerſali æquipollere contendit. & eſt inter gloſſularios iuris ciuilis de hac re diſputatio magna, an & quando indefinita propoſitio reſpondeat uniuerſali. Ego ſummam diſputationis iſtius in pauca contraham. Principio negari non poteſt, indefinitam propoſitionem aliquãdo æquipollere uniuerſali, ut in legibus. nam legũ natura eſt ut de uniuerſis conſtituant, l. 2. ff. de legibus. & annotauit Bartholus in l. ſi pluribus, de lega. 2. & Philippus Decius in l. regula ff. de reg. iur. præterea in diſpoſitione ipſi proferenti fauorabili indefi-

nita uniuerſali æquipollet: ut cum pater filium ſuum ſe inſtituere, uel filio tutores dare profeſſus eſt,l. ſi quis ita ff.de teſtamen.tutela. Ad hoc, *ſi in diſpoſitione, nomen filius pluraliter profertur,tunc uniuerſaliter & ideo collectiue ſemper accipitur. ut ſi pater ſe filios exhæredare dicat,uel cognatus legare.* Item *ſi in diſpoſitionibus uerba ex ſui natura generalitatem quandã deſignent:ut piſcis,aurum,argentum,lana,indefinita quoq; æquipollet uniuerſali.* Et *hæc quidem* Alciatus *ex interpretibus ueteribus recenſet in l.in uſu ff.de uerbo.ſigni.* Porrò *in teſtibus indefinita non æquipollet uniuerſali.* Nam *teſtimonia nunquã non aduerſus eum qui produxit,probant,ut nõ probatũ intelligamus. de qua ſpecie uide* Abbatẽ Panormitanũ & Innocentium *in cap. auditis de præſcrip. pleriq; alias ſpecies adnumerant,in quibus iam indefinita æquipollet uniuerſali,iam non æquipollet.* Sed *ſtudioſo iuris ſatis erit, ſi illas ſpecies,quæ iã à me relatæ ſunt, ſciat ſequi.* Propoſitio *ſingularis, quæ eſt in qua terminus ſingularis ſubiecti uice ponitur. ut* Papinianus *uir excelſi ingenij l. generaliter,§.cum autem C.de inſtitu.* Titius *eſt legatarius, Sempronius eſt tutor. ſingulares propoſitiones ſunt hæ,hic fundus debet mihi ſeruitutem, hoc imperium eſt tyrannicum, hic ager eſt uectigalis, hoc prædium eſt emphiteuticum.*

ALIA PROPOSITIONVM *diuiſio.*

Propoſitionum *aliæ ſunt neceſſariæ,aliæ ſunt contingentes.* Neceſſariæ *ſunt, in quibus prædicatum neceſſario ſubiecto attribui cernitur: ut iuſtitia eſt conſtans & perpetua*

perpetua uoluntas, ius ſuum cuiq; tribuens, §.1. *Inſti. de iuſti. & iure, id eſt, ut hunc locum qui multos torquet, obiter explicem*, Iuſtitia *eſt uolũtas nõ quælibet, ſed conſtans, ut quæ nec pecunia corrũpitur, nec pontentia frangitur, nec gratia inflectitur. & eſt perpetua uoluntas, id eſt continuata, continuo iuſte agens*. Hoc *enim unum eſt iuſtitiæ officium, ut iuſte agat et quidem continuo*. Quo *modo? dum ius ſuum cuique tribuit, id eſt, dum cuilibet quod debet præſtat*. Sed *hic dices, quotus quiſq; continuo iuſte agit?* Reſpõdeo, *ut maxime homines nõ ſemper iuſte agant, non ius ſuum cuiq; tribuant: tamen hoc iuſtitiæ officium eſt, hæc iuſtitiæ eſt uoluntas, ut continuo & conſtãter quod iuſtum eſt agatur, ius ſuum cuiq; tribuatur*. Ita *ſimpliciſſime iſtam iuſtitiæ finitionem intelligendam eſſe cenſeo, non præiudicans illi, qui meliorem & certiorem interpretationem finitionis huius adferre poteſt. ſed redeo ad exempla neceſſariæ propoſitionis. cuiuſmodi ſunt hæc quoque: Iuriſprudentia eſt ſcientia iuſti atq; iniuſti*, §. *iuriſprudentia* Inſti. *de iuſti. & iure*. Item *ius gentium uel naturæ eſt quod ratio inter omnes gentes cõſtituit, id eſt, oĩbus gẽtibus dictat*, §. *quod uerò*, Inſt. *de iure natura*. Contingens *propoſitio eſt in qua prædicatũ eſt accidens*. Vt *uoluntas hominis eſt ambulatoria*, Titius *actor eſt contumax, & proinde à lite cadit*, l. *prope randum*, §. *ſin autem* C. *de iudi*. Sempronius *eſt calumniator*, Pomponius *eſt præuaricator*.

QVID COMMODI IVRISCONSVLtus ex propoſitionum cognitione capiat.

Iuriſconſultus *ex cognitione propoſitionũ multipli-*

cem capit fructum. Et ne hic uerboſus ſim aliquos fructus *referam.* Principio *ratio propoſitionum perſpecta facit, ut iuriſconſultus in ll. ſæpe, quàm bellè ad aliquam propoſitionem uel probandam uel improbandam argumenta referantur, cognoſcat.* Id quod non paruam lucem ll. *adfert.* Verbi *gratia in l. ſi tibi ff. ſi certū peta. proponitur hoc thema, quod uice propoſitionis eſt.* An *pecunia tibi à me donata, ut mihi eandem credas, pecunia credita ſit.* Hanc *propoſitionem argumentum à diuiſione certis rationibus abſoluta ſequitur, quòd talis contractus nec pecunia credita ſit.* Non *donatio, quia non ea mente pecunia data ſit, ut omnimodo penes accipientem maneat.* Non *credita, quia magis exſoluendi detur cauſa quàm alterius obligandi.* Exēpla *alia iuuenis in ll. obſeruet.* Deinde *ꝓpoſitionū cognitio cōducit iuriſcōſulto ad actiones forenſes rectè inſtituendas.* Etenim *ſi aliquid in acta referre debet, ex ꝓpoſitionū cognitione monetur, ut primo propoſitionem conſtituat, deinde argumenta ad propoſitionem appoſite accommodet.* Exempli *gratia, ſi iuriſconſultus in foro contra aliquem excipere uult, quòd ei actio non competat. Ita poteſt dicere.* Tibi *in hac cauſa actio non competit. hæc eſt propoſitio. qua propoſita, diſpiciendum eſt, ut eam argumentis ſolidis adſtruat & confirmet.* Poſtremo *propoſitionum cognitio præſtat, ut iuriſconſultus in publico dicturus, facile id de quo dicturus eſt demonſtrare queat, id quod auditoribus mire gratum eſt, & eos ad attente audiendum illicit.* Nam *quis non audita propoſitione, attente, quibus argumentis iuriſconſultus eam confirmare uelit,*

audiat? Sed in præſentia de commodis quæ iuriſcõſultus ex ꝓpoſitionũ cognitione accipere poßit, dictũ eſt ſatis.

DE ACCIDENTIBUS Propoſitionum.

Propoſitionum accidentia ſunt, Oppoſitio, Conuerſio, æquipollentia.

DE OPPOSITIONE Propoſitionum.

Oppoſitio, eſt duarũ propoſitionũ inter ſe pugnãtia, & quatuor ſpecies complectitur. Nam ſunt contrariæ, ſubcõtrariæ, ſubalternæ, & cõtradictoriæ ꝓpoſitiones.

Cõtrariæ ſunt duæ ꝓpoſitiones uniuerſales, quarum una eſt adfirmatiua alia eſt negatiua: ut omnis ſeruitus eſt ius, nulla ſeruitus eſt ius: omnis uſus fructus morte uſufructuarij finitur, §. finitur Inſti. de uſufructu, nullus uſusfructus morte uſufructuarij finitur: maritus dotis eſt dominus, l. doce ancillã, C. de rei uendi. nullus maritus eſt dotis dominus. Porrò contrariæ propoſitiones, nunquàm ſimul uero cõſentaneæ eſſe poſſunt, falſæ ſimul eſſe poſſunt, & hoc in contingenti materia, id eſt ſi prædicatum ſit accidẽs: ut omne pactum eſt obligatorium, nullum pactum eſt obligatorium: omnis uox iudicis eſt ſententia, nulla uox iudicis eſt ſententia.

Subcontrariæ ſunt duæ propoſitiones particulares quarũ una eſt uniuerſalis adfirmatiua, altera particularis negatiua: ut quædam res ſunt iure naturali omnibus cõmunes, §. & quidem Inſt. de rerum diuiſio. quædã res non ſunt omnibus iure naturali communes. Quidã theſauri inuenti, inuentori toti cedunt, §. Theſaurus Inſt. de

rerum diuiſio. Quidam theſauri inuenti inuentori non toti cedunt. Quædam perſonæ in iudicio ſatisdare coguntur, in Titu. pandectarũ, qui ſatis da. cogan. Quædam perſonæ in iudicio nõ ſatisdare cogũtur. Porrò ſubcontrariæ ab Ariſtotele non ponuntur, ſed à Boëtio & cæteris quibuſdã Dialecticæ ſcriptoribus, & in materia contingẽti, ſimul ueræ accidere poſſunt: ut quidam homines ſunt legatarij, quidã homines nõ ſunt legatarij: quarundam rerũ uſusfructus cõſtituitur, quarũdam rerum uſus fructus nõ conſtituitur, §. cõſtituitur autem, Inſt. de uſu fruct. Item quædã res ſunt corporales, quædã res nõ ſunt corporales, §. unico Inſti. de reb. corp. & incorp.


Contradictoriæ ſunt Propoſitiones duæ, Vniuerſalis adfirmatiua & particularis negatiua, uel uniuerſalis negatiua & particularis adfirmatiua: ut omne peculium filiorum parentibus acquiritur, quoddam peculium filiorum parẽtibus non acquiritur, §. 1. inſti. per quas perſonas. Nullus tutor ſatisdare cogitur, quidam tutor ſatisdare cogitur, §. Igitur Inſti. de ſatisda. tuto. uel cura.

Contradictoriæ ſunt & duæ ſingulares propoſitiones: ut Titius eſt reus perduellionis, Titius non eſt reus perduellionis. & id generis propoſitiones nunquàm ſimul uel ueræ uel falſæ eſſe poſſunt.

Subalternæ ſunt duæ propoſitiones, ambæ aut affirmatiuæ, aut negatiuæ, ſcilicet ita, ut altera ſit uniuerſalis, altera particularis. ut omnis pactio obſcura uel ambigua uenditori, & ei qui locauit nocet, l ueteribus, ff. de pactis, quædam pactio uenditori & ei qui locauit nõ nocet. Nulla ſententia lata retractari poteſt, Quædam

ſententia

ſententia lata non retractari poteſt. ſed ut illæ oppoſitionis Propoſitionum *ſpecies clarius cernantur, eas in figuram redigam.*



VSVS OPPOSITIONIS *Propoſitionum.*

Cognitio oppoſitionis propoſitionũ Iuriſcõſulto *uarijs modis cõmodare poteſt, principio ex oppoſitionibus propoſitionum* Iuriſconſultus, *in ll. ipſis facile intelliget* ἀντινομίας. *Quarũ non paucas immortale illud decus omniũ literarũ* Guilelmus Budæus *collegit. deinde ſi in interpretibus* Iuriſcõſultus *uerſetur, ex cognitis oppoſitionibus ꝓpoſitionũ leui, quod aiũt, brachio cõſequetur, ubi pugnãtia interpretes inter ſe ſcribãt, id quod eo facit ne nos eadẽ, qua interpretes, uſi improuidẽtia, pugnãtia quoq; aſſeramus. Poſtremo ſæpe* Iuriſconſultus *uel à parte actoris uel rei in publico foro cõſiſtit. ſi actoris partes ſuſtinet & ipſe cauebit ne aliquando uel pugnantia,*

aut

aut dicat aut alicubi pugnãtia in ſcripta referat, id quod niſi caueamus ſæpe facit ut uel cauſa cadamus tota, uel impēdiorũ nõ mediocrē iacturã faciamus. tũ Iuriſcõſultus actoris partes defendēs, facile deprehendet ex præceptis oppoſitionis propoſitionũ, an inter ſe diſsidētia uel reus uel eius defenſor aliquãdo aut dicat aut etiã in ſcripturas publicas redigat. Sin Iuriſcõſultus à parte rei ſtet, eadem quæ dixi, in actoris & uerbis ore ꝓlatis & ſcriptis publicis obſeruare põt. Id quod ad refellēdum aduerſarium apprime cõducit. Ad hæc quũ illud in ore ſit oĩbus iuris ciuilis ſtudijs initiatis, teſtimonia inter ſe diſsidentia non recipieda, nec aliquod robur habere, quinã quæ teſtimonia inter ſe diſcrepēt, deprehēdere poſſumus? ſi quæ ꝓpoſitiones inter ſe diſsident plane ignoramus. Hæc de uſu oppoſitionis ꝓpoſitionũ paucis dicere uolui. exēpla adiũgerem niſi & neminem nõ uel citra exempla, quæ diximus intellecturum crederem, & ne in immenſum libri iſti de Dialectica mihi creſcant, uererer. Venio nunc ad æquipollentiam propoſitionum.

DE AEQVIPOLLENTIA
Propoſitionum.

Vt oppoſitio eſt propoſitionũ inter ſe pugnantia & diſsidētia, ita æquipollētia eſt propoſitionũ inter ſe concordia & æquiualentia, ſeu æquipotentia. nam Græci æquipollentiã ἰσοδυναμίαν appellant. Ratio æquipollentium propoſitionum tribus regulis oſtenditur.

PRIMA REGVLA EST.

Negatio poſtpoſita ſigno præſertim uniuerſali contrarias ꝓpoſitiones inter ſe æquipollere facit. ut contra-

riæ ſunt ꝓpoſitiones:oēs leges benignius interpretandæ ſunt,l.benignius,ff.de leg. & nullæ leges benignius interpretādæ ſunt.Iam poſtpone negationē ſigno uniuerſali hoc modo:nullæ leges nō benignius interpretādæ ſunt, & cernes contrarias propoſitiones inter ſe æquipollere. Itē ſi hoc modo dicas:oēs leges benignius interpretandæ nō ſunt,æquiualere uides huic: nullæ leges benignius interpretādæ ſunt.Cæterū gloſſularij iuris ciuilis ſcribunt huic regulæ de æquipollētia contrariarū propoſitionum traditæ,in ll. locū nō eſſe ſi abſurdus intellectus oriatur, ut in l.ſi ſeruus. §.ſi pluriū.ff. ſi quis cautio.Negationē uniuerſali orationi poſtpoſitā,nō parēre æquipollētiam cōtrariorum.Sed Zaſius ille iuris ciuilis peritiſſimus iſtā regulā plurimum firmitatis in ll.habere probat, & primo ex l.obligari,in principio,ubi eſt textus cū glo.ff.de auto.tuto.Textus quidē eſt,obligari ex omni contractu pupillus ſine tutoris autoritate non poteſt.ubi gloſſa addit,id eſt ex nullo cōtractu obligari poteſt.ſic omnis homo nō currit, nullus homo currit.deinde probatur regula dicta ex l.legitimos §.an igitur,cū gloſſa,de legi.tute. uerba §.ſunt,& magis eſt ut ſi oēs ſatis nō dederint. hic gloſ.addit,id eſt ſi nullus ſatis dederit. Poſtremo regula paulò ante dicta cōfirmatur ex l.quodlibet ff.de ſolu.uerba l.ſunt,quodlibet debitū ſolutū à ꝓcuratore meo nō recepto,id eſt nullū debitū &c. Adferūtur à Zaſio et ll.aliæ quibus paulò ante dicta regula firmatur,ſed ſatis ſit me aliquot leges induxiſſe,è quibus nemo nō liquido cernit regulā de æquipollētia cōtrariorum etiā in ll.obſeruari. Quid autē reſpōdebimus ad l.ſi ſeruus.§.pluriū? Zaſius ita

ita reſpõdet, in §. pluriũ, ecũ ſimpliciter promiſiſſe, quòd ipſe oẽs ſeruos ſiſtere uelit, p̃inde cũ aliquos nõ ſtatuerit, per modũ ſubiectæ cõſequẽtiæ rectè inferri uerũ eſſe oẽs nõ eſſe ſtatos, aliquos domi relictos. Et addit Zaſius, hæc uerba, oẽs nõ eſſe ſtatos, non poni abſolutè, ut ſimpliciter negarẽt, ſed ſubici in conſequentiam ſermonis, ſeu conuẽtionis antecedentis, ut appareret, promiſſionẽ quæ anteceſſerat non eſſe ſeruatã. Ad extremũ Zaſius illud adicit, regulam ſupradictam in abſolutis ſermonibus locum habere, non in relatorijs ſeu appendentibus, quorũ uirtus & uis ex his ſumitur, quæ præcedunt.

SECVNDA REGVLA.

Negatio & præpoſita & poſtpoſita ſigno aut uniuerſali aut particulari facit æquipollere ſubalternas. Subalternæ ſunt, oĩs ignorantia facti excuſat, l. liberorũ, §. notatur etiã, ff. de ijs qui infã. nota. & quædã ignorãtia facti excuſat. Itẽ ſubalternæ ſunt. Nullus impubes teſtamẽtũ facere poteſt, §. præterea Inſt. quibus nõ eſt permiſſ. & quidã impubes teſtamentũ non poteſt facere. Iam præpone & poſtpone huic propoſitioni negationem, omnis ignorãtia facti excuſat, hoc modo, nõ omnis ignorãtia facti nõ excuſat, & æquipollebit huic, quædã ignorãtia facti excuſat. uel ſic, nõ quædã ignorantia facti nõ excuſat, æquipollet huic, omnis ignorãtia facti excuſat. Eadẽ ratione illæ p̃poſitiones, Nonnullus impubes teſtamentũ nõ poteſt facere, & quidã impubes teſtamẽtũ nõ põt facere, æquipollẽt quoq;, uel hoc modo. Non quidam impubes teſtamẽtũ haud quaquã nõ poteſt facere, & nullus impubes teſtamentũ facere poteſt, æquipollent etiam.

TERTIA

TERTIA REGVLA.

Negatio præpoſita ſigno uniuerſali aut particulari cõtradictorias inter ſe æquipollere facit.ut cõtradictoriæ ſunt: omne legatũ eſt ab hærede legatario præſtandũ, §. legatum Inſti.de lega.*& quoddã legatũ ab hærede legatario nõ eſt præſtandum.*Iam *ſi dicas non omne legatum ab hærede legatario præſtandum eſt, æquiualebit huic, quoddã legatum ab hærede legatario præſtandũ non eſt.* Sic *iſtæ ſunt contradictoriæ.*Q*uoddã pactum eſt obligatorium,& nullum pactum eſt obligatorium.*At *ſi dicas, non quoddam pactum eſt obligatoriũ,æquipollebit huic, nullum pactum obligatorium eſt.*

VSVS AEQVIPOLLENTIARVM *Propoſitionum.*

Ex *æquipollẽtijs* Iuriſcõſultus *cognoſcere poteſt quæ propoſitiones cũ quibus cõcordent, cũ quibus diſcordẽt.* Id *quod ad indicãdum,tũ leges ciuiles, tum cõmentarios interpretum,ad hæc,ad agẽdum quàmplurimũ confert.* Præterea *ſunt ll.quæ ſine regulis iſtis æquipollentiarum aliquantulum obſcuræ erũt.*Cuius *rei exẽpla paulo ante pauca attulimus, quibus addere potes* l.omnes *ff. de popula.actio.* Verba *legis ſunt:omnes populares actiones neq; in hæredes dãtur,neq; ſupra annum dãtur.*Is *qui regulæ quam ſupra de æquipollẽtia cõtrariarum propoſitionũ attulimus,nõ ignarus eſt, quid ſibi iſta lex uelit,ſtatim intelligit.*Intelligit *autẽ legẽ iſtã hoc ſibi uelle,nullas actiones populares in hæredes dari,nullas actiones populares ſupra annũ extẽdi.* Q*uod ſi quis iſtius regulæ rudis ſit, nonnihil caliginis hac in lege ei offundetur. ſic eſt* l.

error

error,in ſi.l.regulã.§.ſed facti, ff. de iuris & facti igno. Lex Error *in fine dicit:Cæterum omnibus iuris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet,id eſt nulli nocet error iuris,in damnis amittendæ rei ſuæ.* Verba *§.in l. regulam ſunt:*Sed *facti ignorantia ita demum cuiq; non nocet,id eſt nulli ignorantia facti nocet &c.* En *quàm liquido ex regula æquipollentiarum propoſitionum contrariarum leges explicauimus : quæ nobis regulæ iſtius ignaris non parum tenebrarum circunfudiſſent.*

DE CONVERSIONE *Propoſitionum.*

Cõuerſio propoſitionum quid ſit,uel ex ipſo uocabulo nulli nõ perſpicuum eſſe poteſt. Eius *ſpecies duas tantum recipimus,nam conuerſio illa per contrapoſitionem arguta magis eſt quàm utilis.* Prior *ſpecies uocatur conuerſio ſimplex,poſterior conuerſio per accidens.*

SIMPLEX CONVERSIO.

Eſt *quãdo ſimpliciter in conuerſione propoſitionum ſubiectũ in prædicatũ & prædicatũ in ſubiectum mutatur,ſignis prorſus nõ mutatis.* Et *ſic uniuerſalis negatiua in uniuerſalẽ negatiuam, particularis affirmatiua in particularẽ cõuertitur.ut nullus codicillus eſt uerũ teſtamentũ,ergo,nullũ uerũ teſtamentũ eſt codicillus.* Itẽ *nulla actio directa eſt actio utilis, ergo,nulla actio utilis eſt actio directa.* Nulla *permutatio eſt emptio,ergo nulla emptio eſt permutatio,§. item preciũ.*Inſti. *de empt. & & uendit.*Sic *quoddam debitum ſolutum condici poteſt,* Ergo,*quoddam quod poteſt condici eſt debitum.*Vide *titulum* Pandectarum *de condictione indeb.*

CONVERSIO PER ACCIDENS.

Eſt quando præter uocum, quæ in propoſitionibus ponuntur mutationem, etiam ſigna mutantur. Sic uniuerſalis affirmatiua, & uniuerſalis negatiua in particularem cõuertitur, ut omne ius eſt hominũ cauſa conſtitutum l. cũ igitur ff. de legi. ergo quoddã conſtitutũ hominum cauſa eſt ius. Item in rem actio iure ciuili eſt prodita, ut quis dominiũ ſuũ uindicet l. nanq; Inſt. de act. Ergo illud quo quis dominiũ ſuũ uindicat eſt actio. Item nullũ priuilegium eſt ius generale l. quæ ex relationibus C. de leg. ego, quoddam ius generale non eſt priuilegium.

DE VSV CONVERSIONIS *propoſitionum.*

Non uideo alium uſum ex conuerſione propoſitionũ iuriſconſulto accreſcere poſſe quàm illum: nempe, quòd iuriſconſultus ex conuerſione propoſitionum alicubi inter uel dicendum uel agendum aliquam propoſitionẽ clariorem reddere poteſt. Hoc modo, omnes temere litigantes puniedi ſunt, §. nunc admonendi Inſtit. de pœna temere litigan. Ergo non dubium eſſe poteſt, quin quidam puniti ſint, quòd temere litigarunt. Item omnis tutor remotus ob dolum infamia notatur, §. ſuſpectus Inſtitu. de ſuſpect. tuto. Ergo quoſdam infamia notatos credibile eſt tutores fuiſſe, & ob dolum à tutela remotos eſſe. Hæc paucis ut prima diſcentium ſtudia iuuaremus de uſu conuerſionis propoſitionum adſcribere uoluimus. Nunc ad propoſitionem hypotheticam progrediar.

Quid propoſitio Hypothetica ſit.

Propoſitio hypothetica eſt propoſitio ex pluribus

Categoricis contexta dicta hypothetica, quaſi uel ſuppoſitoria uel cõditionalis propoſitio, quòd ſemper ſub conditione aliquid proponit: ut ſi hoc eſt, illud eſt: ſi hoc non eſt, illud non eſt. ſpecies eius ſunt tres, Conditionalis, Copulatiua, Diſiunctiua.

CONDITIONALIS HYPOTHETICA.

Conditionalis Hypothetica eſt, quando duabus uel pluribus Categoricis propoſitionibus, cõiunctio ſi præponitur, ut: ſi contractus eſt, obligatio eſt. Si obligatio eſt, actio eſt, l. licet §. ea obligatio ff. de procurato. Item ſi pater in nuptijs filij tacet, pater conſentit l. ſi ut propo nis C. de nuptijs. Item ſi gratuita eſt iniunctio, mandatũ eſt, §. in ſumma Inſtit. de man.

COPVLATIVA.

Copulatiua Hypothetica eſt, quãdo Categoricæ ꝓpoſitiones cõiunctione copulatiua cõiungũtur, ut & hæres eſt & legatarius eſt: & iudex eſt & actor eſſe cupit. ſapiũt & illæ formulæ, orationẽ copulatiuã Hypotheticã, tum filius eſt tum ſuus et neceſſarius hæres eſt: ſeruus eſt iuxta neceſſarius hæres eſt: cũ tutor eſt tum pater exiſtit.

DISIVNCTIVA.

Diſiunctiua Hypothetica eſt, quãdo inter Categoricas ꝓpoſitiones, aliqua cõiunctio diſiunctiua intercedit. ut aut cõtractus nominatus eſt aut innominatus eſt, aut con dictio exiſtit certi aut actio legis Aquiliæ exiſtit: uel exceptio dilatoria eſt, uel exceptio peremptoria eſt, ſiue rei uendicatione experitur, ſiue hypothecaria actione experitur. Sed de propoſitione hypothetica ſatis. Supereſt propoſitio modalis, de qua etiam pauca dicemus.

QVID

QVID PROPOSITIO *Modalis.*

Propoſitio modalis eſt, in qua ponũtur id generis modi, ſeu nomina adiectiua, poßibile, impoßibile, cõtingẽs, rectum, uerum, falſum, æquum, iniquum, facile, difficile, certũ, incertum, cõſuetum, inconſuetũ, utile, inutile, iucundum, iniucũdum, decorum & indecorum, ciuile, inciuile: & ſi quæ alia ſunt huiuſmodi nomina adiectiua, ſeu modi. Nam *modus hoc in loco, eſt nomen adiectiuum, uel dictio adiectiua, quæ rem quampiam determinat & explanat.* Exempla, *defendi uxores à uiris non uiros ab uxoribus æquum eſt, §. patitur autẽ* Inſt. *de iniu. in omni obligatione poſſe dari fideiuſſorem, nõ eſt iniquum, §. in oĩbus,* Inſti. *de fideiuſſo. omniũ quæ à maioribus inſtituta ſunt rationem reddere impoßibile eſt, l. nõ omnium ff. de leg. inciuile eſt, non tota lege perſpecta, iudicare uel reſpondere l. inciuile ff. de legib. unam omnibus parẽtibus exhibere reuerentiam eſt decorũ, l. parentes ff. de in ius uocã. cõmoda cuiuſq; rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda æquum eſt, l. ſecundum ff. de reg. iur. plerunq; ubi ſucceßionis eſt emolumentum, ibi & tutelæ onus eſſe rectum eſt, §. unico,* Inſti. *de legit. agna. tute.* Exẽpla *alia ſtudioſus, ſuopte* Marte *facile in ll. et obſeruabit et ipſemet comminiſcetur.* Hoc *iuuenem non lateat, & aduerbia deriuata à nominibus, paulo ante à me relatis, modalem propoſitionem reddere. ut,* Difficulter *leges ciuiles citra* Dialectices *cognitionem intelligere poſſumus.* Item *inciuiliter egit* Iuſtinianus *quòd ueterũ iuriſconſultorũ libris abolitis, rudem quandã legum ſyluã collegit..*

At hæc quæ à dialecticis adferuntur de oppoſitione & æquipollentia et conuerſione propoſitionum modalium non contemnenda quidem ſunt, ſed quum illorũ uſus iuriſconſulto, ut mea fert ſententia, non ita neceſſarius eſt, de illis dicere ſuperſedebo. Nã his meis præceptionibus hoc unum ſpecto, ut iuuenis qua ratione in iure etiam ciuili Dialectica *uti poßit, liquido cernat.* Explicatis *rationibus propoſitionũ, ad rationes contexendi ſyllogiſmos, qui propoſitionibus conſtant, pergemus.*

LIBER III.

DIALECTICAE LEGALIS.

HACTENVS *quarundam uocum rationem oſtendimus, è quibus quomodo uox cum uoce conueniat diſcere iuuenis poteſt, aperuimus quoq; earum uocum naturã, è quibus finitiones promanant. Ad hæc propoſitionum natura à nobis explicata eſt, quæ cum ad ſtatus in ll. ciuilibus dijudicandos & proferendos, tum rationationes cõtexendas plurimum momenti habent. Iam uerò* Dialecticæ *partem ueram tractandam ſuſcipiemus. Nam in hoc libro tertio, Deo cœptis noſtris adſpirante,* Dialecticam *indicatiuam tractabimus, cuius officium eſt iudicare argumentorum uim, iudicare quàm concinne membra argumenti cohærcant, iudicare quàm recte unum ex alio efficiatur. ut uerò iuuentus iuris ciuilis ſtudioſa, illius* Dialecticæ *partis uſum*

quendam

quendam certum complectatur, argumentationis rationem quàm poteſt fieri & breuiſsime & planiſsime aperiemus.

QVID ARGVMENTATIO SIT.

Argumentatio, autore Cicerone, in libro de inuent. primo, eſt ratio rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſario demonſtrans.

SPECIES ARGVMENTATIONIS.

Species argumẽtationis primariæ ſunt, Syllogiſmus, Inductio, Enthymema, Exemplum.

QVID SYLLOGISMVS.

Syllogiſmus eſt oratio in qua quibuſdã poſitis & cõ ceſsis neceſſe eſt aliud euenire per ea quæ poſita ſunt & conceſſa, id eſt, ſyllogiſmus eſt oratio in qua ex duabus propoſitionibus cõceſsis, neceſſario aliqua concluſio ſequitur, exempli gratia: Leges hac gratia nos tenẽt, quòd iudicio populi receptæ ſunt, Cõſuetudo tacito populi iudicio recipitur, Ergo conſuetudo & uim legis habet, & nos tenebit. De quo ſyllogiſmo uide l. de quibus ff. de legib. Item quicquid legibus approbantibus fit iure fit, l. Gracchus C. ad legem Iuliam. Adulterum deprehenſum occidere legibus fit approbantibus, Ergo adulter deprehenſus iure occiditur.

DE SYLLOGISMI PARTIBVS.

Syllogiſmus cõſtat ex tribus terminis & duabus propoſitionibus & concluſione, uel ut Cicero loquitur, complexione. Nomina terminorũ è quibus ſyllogiſmus cõfici tur ſunt, maior, minor terminus, & mediũ. Maior termi nus dicitur, quòd in maiore propoſitione cũ medio pona

tur.minor terminus appellatur quòd in minore propoſitione cũ medio collocetur. Mediũ autẽ dictũ eſt quòd mediat & connectit prædicatũ cum ſubiecto in cõcluſione. Porrò nomina propoſitionũ è quibus ſyllogiſmus componitur ſunt maior ꝓpoſitio, minor propoſitio. Maior propoſitio appellatur, quia plus uiriũ habet ad cõficiendũ. Minor uerò uocatur, quia minus uirium habet.

DE PRINCIPIIS ſyllogiſmi.

Principia ſyllogiſmi regulatiua eſſe dicũtur ab Ariſtotele, dici de omni, dici de nullo. Dici de omni eſt quando nihil poteſt ſumi ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum, ut omne maleficium eſt puniendum, ſub maleficio ſumi poteſt nihil, ut nõ de illo dicatur, puniendum, ergo quia puniendum prædicatur ſeu attribuitur maleficio, tribuetur etiam furto, ſacrilegio, homicidio, quæ ſub maleficio comprehenduntur. Dici de nullo eſt, quando nihil poteſt comprehendi ſub ſubiecto quin prædicatum de illo remoueatur, uel ut apertius dicam, prædicatum ei nõ attribuatur. ut nullum peculium caſtrenſe parẽtibus acquiritur, ab omni, quod ſub peculio caſtrenſi comprehendi poteſt, prædicatum quoq; remouetur.

RATIO CONTEXENDI ſyllogiſmos.

Rationem contexendi ſyllogiſmos indicat Ariſtoteles in libro Priorũ. & ſumma eſt: in ſyllogiſmis loco propoſitionis maioris eſſe ponendam cauſam, hoc eſt ſententiã quandã cõmunem, quæ cauſa ſit & firmamentum totius ſyllogiſmi. Rhetores uocant κρινόμενον. Deinde cum hac

cauſa

cauſa ſubiectum minoris propoſitionis componetur, & erit minor propoſitio. Poſtremo *concluſio ſequitur, quã rationem contexendi ſyllogiſmos, principia illa regulatiua ſyllogiſmi dici de omni, dici de nullo, ſi quis preßius introſpiciat, demonſtrant.*

REGVLAE IN SYLLOgiſmis obſeruandæ.

Prima, Ex *ſolis negatiuis nulla cõcluſio certa & idonea efficitur. ut nullæ leges humanæ ſunt perpetuæ, nulla diuina eloquia ſunt humanæ leges, nulla diuina eloquia ſunt perpetua.* Quis *non hic agnoſcit abſurdã concluſionem? quamuis aliquando ex puris negatiuis concluſio aliqua ſequitur, ut:*

Nullæ leges ſunt perpetuæ,
Nulla priuilegia ſunt leges,
Nulla priuilegia ſunt perpetua.

2 *Regula,* Ex *puris particularibus nulla quoque uera concluſio colligitur, ut:*

Quædam mandata non obligant,
Quædam leges diuinæ ſunt mandata,
Quædam leges diuinæ non obligant.

3 *Regula,* In *ſyllogiſmo non ſint termini amphiboli, unde hæc rationatio nullius momenti eſt, omnis qui habet mancipium in redhibitionis cauſa, tenetur illud exhibere, l. fin. C. de ædilit. actio.* Sempronius *ſeruum mortuum habet in cauſa redhibitionis,* Ergo Sempronius *tenetur ſeruum exhibere, contra l. quòd ſi nolit ff. de ædilit. actio.* Error *ſyllogiſmi eſt in uerbo exhibere, quod aliquando eſt probare, ut in dicta l. fina. aliquando alterius rei*

rius rei copiam facere, ut in dicta l. quòd ſi nolit. Item ſi teſtator Titio leget duo pocula oleagina paria, & Titius ita colligat: Legata ſunt mihi duo pocula paria, Ergo mihi legata ſunt pocula quatuor. Eſt amphibolon in uoce paria.ut in l.qui concubinam §.qui quatuor ff. de lega.3.Proinde ratiocinatio illa non ualet.

4 Regula, Medium in concluſione recipi non debet.

FIGVRAE SYLLOGISMORVM.

Figura, ut hic accipitur, eſt debita ordinatio terminorum qui in ſyllogiſmo aliquo ponuntur. Et ſunt tres figuræ ſyllogiſmorũ. Prima, ſecunda, tertia. quælibet figura habet ſuos modos. Modus uerò hoc loco eſt & ſumptarum propoſitionum & ipſius concluſionis commoda diſpoſitio.

PRIMA FIGVRA.

Prima figura eſt, quando medium in maiori propoſitione ſubiecti locum, in minori prædicati uicem occupat. Modi eius ſunt quatuor.

Bar Omne pactum licitum eſt ſeruandum,

ba Omnis promiſſio de iudicato ſoluendo eſt pactum licitum,

ra. Omnis promiſſio de iudicato ſoluendo eſt ſeruanda.

Maior poteſt probari ex l.legitima ff.de pactis. Item omnes magiſtratus iuriſdictionem pœnali iudicio defendere poſſunt, l.unica ff.ſi quis ius di.

Omnes conſules ſunt magiſtratus,

Omnes conſules iuriſdictionẽ pœnali iudicio defendere poſſunt. Hic uides opinor, quomodo principiũ regulatiuum

latiuũ ſyllogiſmorũ dici de omni belliſſime ſeruetur. Itē

Bar *Omne promiſſum de iure debetur,*

ba *Omne pactum licitum eſt promiſſum,*

ra. *Omne pactum licitum de iure debetur.*

Maior probatur per l.1.ff.de pact. & l.minorum.C. de tranſactionibus.

Ce *Nulli ſua fraus patrocinari debet,*

la *Omnis reus clā ſe ſubducēs actori facit fraudē.*

rent. *Nullus reus clam ſe ſubducens impunis dimittendus eſt.* Item

Ce *Nullus de domo ſua extrahi debet,*

la *Omnis qui etiam in loco conducto habitat in domo ſua habitat,*

rent. *Nullus in conducto habitans extrahi debet.*

Maior probatur per l.ſed & is ff.ſi quis ius dic. Mi*nor uerò confirmatur per* §.*ſed & lex.*Inſti*. de iniurijs.* Id *quod tamen uerũ eſt in ciuilibus cauſis,ſecus autem in criminalibus. ut in auten. ut nulli iudicum* §. *quoniam. uide &* Accurſium *in l.nemo.ff.de regu.iu.* Item

Ce *Multa damnum famæ non irrogat,l.multa* C.*de modo mult.*

la *Omnis pena pecuniaria eſt multa,*

rent. *Nulla pœna pecuniaria famæ damnum irrogat.*

Da *Omnis emphiteota ſoluens ſtato tempore canonem emphiteoſim ſeruat,*

ri Titius *emphiteota ſoluit canonē ſtato tempore,*

i. Titius *emphiteota emphiteoſim ſeruabit.*

Da *Omnes raptores uirginũ ſacrarũ plectendi ſunt capite,l.raptores,*C.*de epiſco.& clericis,*

ri Sempronius rapuit uirginem ſacram,

i. Sempronius plectendus eſt capite.

Da Oīs cōtractus qui fit per metū iuſtū reſcindi pōt,

ri Titius per metum iuſtum contraxit,

i. Titij contractus reſcindi poteſt.

Maior confirmatur per l. ſi donationis C. de his qui ui uel metu &c.

Fe Nemo ob hoc quòd ſolum in carcerem cōiectus eſt infamia afficitur,

ri Sempronius in carcerem ſolum eſt coniectus,

o. Sempronius non infamia adficitur.

Quem ſyllogiſmum uide tractatum in l. infamiæ detrimentum C. ex quibus cauſ. infa.

Fe Nullus adoptādus maior adoptato eſſe debet,

ri Titius eſt adoptandus,

o. Titius maior adoptato non eſſe debet.

Maior ꝓbatur per § maiorē natu. Inſti. de adptioni.

Fe, Nullus in ſua cauſa ſibiipſi ius dicere poteſt,

ri Petrus cauſam ſuam ipſius agit,

o. Petrus iudex eſſe non poteſt.

Maior probatur per l. unicam C. ne quis in ſua cauſa.

En modos primæ figuræ exēplis aliquot reddidimus, iuuenes admonitos uolo, ut exēpla ſimilia & ipſi obſeruēt, & quoq; cōfingant. Sic enim futurum eſt, ut præceptiones noſtras rectius & melius accipiāt. nam exempla præceptiones intelligibiliores reddūt. Cæterū hic nudas quaſdā rerū connectendarū formas oſtendimus, quibus ſi elocutio accedat, illuſtriora & gratiora reddemus oīa. In ll. quidē præter nudas iſtas rerum formas rarò aliquid

elocu

elocutionis ornamentis diſtinctum & uariegatum reperimus. nam in hoc leges ſcriptæ ſunt, ut ſimpliciter quid æquum, quid iniquum, quid liceat, quid non liceat nobis compertum ſit. At iuriſconſultus dum uel leges publice profitetur, uel inter agendum cauſas ex ll. colligit, orationis phaleras adhibebit, ut quod dicit & ſplendidius & iucundius exiſtat. Sic ex rhetorum præceptis, maiori propoſitioni confirmationem adiunget. Minorem uarijs aut exemplis aut rationibus expoliet, concluſionem tandem uerbis & ornatis & inſtructiſsimis excultam proferet.

FIGVRA SECVDA.

Secunda figura eſt in qua medium in maiore & minore propoſitiõe prædicati loco ponitur, eius modi ſunt:

Ce Nulli debet detrahi ius ſuum,

ſa Omnis qui experitur aliqua actione in iudicio habet ius ſuum,

re. Nulli experienti aliqua actione in iudicio debet aliquid detrahi.

Maior poteſt probari per §. primum, inſtitu. de his qui ſunt ſui &c. Minor poteſt firmari per finitionem actionis quæ eſt in §. actio Inſtitu. de actioni.

Ce Nullus obligatur ex conſilio quod dat alteri,

ſa Omnis qui ſine dolo ſuadet alicuius rei uẽditionem dat alteri conſilium,

re. Nullus qui ſuadet alicui ſine dolo alicuius rei uẽditionem obligatur.

Maior probatur per §. tua tantũ gratia, Inſtit. manda. & l. conſilij ff. de regu. iur.

Manda

Ce Mandatum non obligat quod ſit contra bonos mores,

ſa Omne mandatum de furto aut damno faciendo ſit contra bonos mores,

re. Nullũ mandatũ de furto aut damno faciẽdo obligat per §.illud quoq; Inſtitu.mandati.

Ca Omnis conſuetudo conſentanea rationi habet uim legis.

meſ Nulla res recepta ſine tacito populi conſenſu habet uim legis,

tres. Nulla res recepta ſine tacito populi cõſenſu uidetur eſſe cõſuetudo conſentanea rationi.

Maior probatur per §.ex nõ ſcripto Inſti.de iur.natur. Minor uerò nititur l. de quibus cauſis §. inueterata conſuetudo.ff.de lega.

Ca Omne matrimonium accipit robur ex cõſenſu,

meſ Nullus qui uxorẽ ducere cogitur, conſentit,

tres. Nullum coactum matrimonium eſt ualidum & firmum.

Maior nititur l.nuptias ff.de reg.iu. Minor facile ꝓbari poteſt, nam quum cõſenſus ultroneus eſſe debeat, is qui cogitur quinam conſentire uideri poteſt?

Feſ Nullus uidetur dolo facere qui iure ſuo utitur,

ti Sempronius iure ſuo utitur,

no. Sempronius nihil uidetur dolo facere.

Maior eſt nota ex l.nullus ff.de reg.iur.

Feſ Nullæ res ſacræ in alicuius ſunt bonis,

ti Domus Titij eſt in alicuius bonis,

no. Domus Titij non eſt res ſacra.

Maior

Maior ꝓbatur per § .nullius aũt ſunt Inſti.de re.diui.

Ba Omnia noſtra fiunt quæ ex hoſtibus capimus,

ro Carolus iſtas res non ex hoſtibus cepit,

co Ergo Caroli iſtæ res non ſunt.

Maior nititur § .Item ea, Inſti.de re.diuiſio.

Ba Omnis ille notatur infamia qui ignominioſe exautoratur,

ro Miles Sempronius non eſt ignominioſe exautoratus,

co. Miles Sempronius non infamia notatur. uide l.ij. ff.de his qui infa.no.

En paucis exemplis modos ſecũdæ figuræ illuſtrauimus, hãc ob cauſam maxime, ut ſtudioſis iuris ciuilis uiã quandam rationãdi in hac figura aperiremus, & eos ad exẽpla ll.quæ ad hãc figurã accõmodari poſſunt, obſeruanda extimularemus. Nã in ll.nõ rarò exẽpla rationationũ ex figura ſecunda ſyllogiſtica deprõptarum occurrunt, ut in l.ſed an ultro ff.neg.geſt.Celſus ita colligit:

Is negociorum geſtorum habet actionem, qui negocia utiliter geßit,

Qui autem rem non neceſſariã & oneraturam patremfamiliãs aggreditur, rem non utilem gerit,

Ergo is negociorum geſtorum non habet actionem.

Huius figuræ exemplum quoq; illud eſſe poteſt in l.ſi depoſiti.C.depoſiti.

Omnis ille furtum committit qui rem depoſitam inuito domino ſciens prudensq; in uſus conuertit ſuos,

Sempronius

Sempronius depoſitarius rem depoſitam inuito domino ſciens prudensq́; in uſus conuertit ſuos,
Ergo Sempronius furtum commiſit.

Exempla huius rationationis plurima in ll. reperiuntur, quæ dum ut oſtendi, auditoribus proponũtur, admodum leges intelligibiles faciunt, aliquando uerò exempla prorſus Dialecticæ *in iure ciuili connexa reperiuntur. ut emptio & uenditio conſenſum deſiderant,* Furioſus *non habet ullum conſenſum,* Ergo *furioſus non poteſt emere & uẽdere. ita colligit imperator in l. emptionem* C. de contrahen. emptio. Aliquando etiam elocutionis *phaleris exempla ornata leguntur, hic unum exemplum admonendi gratia adduxiſſe ſatis erit.* Iuſtinianus *imperator in* prologo Inſtitutionum *iuris ciuilis, ita colligit:*

Imperator & armis decoratus & legibus ornatus eſſe debet,
Aſt ego tam armis quàm legibus promulgandis ſtudui ſemper, & etiam num ſtudeo,
Ergo merito imperatoris nomen mihi uindico.

Sed uide obſecro quàm ſcite propoſitionem maiorem ſubiecta ratione expoliat, uide quàm minorem etiam grauiter & ornate confirmet. Quod unum exemplum, iuuenem iuris ciuilis candidatum docere poteſt, quomodo nudæ rationationum formæ elocutionis ceu ueſtibus conueſtiendæ & exornandæ ſint. Sequitur tertia figura.

TERTIA FIGVRA.

Eſt quando mediũ in propoſitione tam maiore quàm minore ſubiecti loco ponitur. Eius modi ſunt:

Omne

Da Omne edictum prætoris magnam autoritatem iuris obtinet,

rap Omne edictum prætoris iam eſt factum perpetuum,

ti. Quoddam perpetuum magnam autoritatem iuris obtinet.

Maior poteſt probari per §. prætorum quoq; edicta Inſti.de iur.natu. Minor notior eſt quàm ut ullis legibus probanda exiſtat.

Fe Nullum pactum nudum parit obligationem,

lap Omne pactum nudũ eſt quod rei traditione non eſt ueſtitum,

ton. Quoddam non ueſtitum rei traditione non parit obligationem.

Maior probatur per l.iuriſgentium §. ſed cum nulla ff.de pactis. Minor probatur per Accurſium in l. ſi ut proponis C.de condi.ob cauſ.da.

Di Quædam actio tranſit ad hæredes,

ſa Omnis actio oritur ex obligatione,

mis. Quoddam ortum ex obligatione tranſit ad hæredes.

Maior probatur per titulum Inſtitut.de per.& tempora.act.&c. Minor eſt manifeſta ex l.licet §.ea obligatio ff.de procurat.

Da Omnis exceptio eſt excluſio actionis,

ti Quædam exceptio eſt dilatoria,

ſi. Quoddam dilatorium excludit actionem.

Maior probatur per l.ij.ff.de exceptio. Minor itidem probatur per l.iuſtam.§.ſane ſolemus.

Quædam

Digitized by Google

Bo Quædam appellatio non eſt admittenda,
car Omnis appellatio eſt à iudice minore ad maiorem prouocatio,
do. Quædam prouocatio à iudice minore ad maiorem non eſt admittenda.

Maior probatur per titulum Pandectarum de appel. recipien.uel non. Minor eſt manifeſtior quàm ut legibus confirmanda ſit.

Fe Nulla ſtipulatio rei quæ in natura non eſt, eſt utilis,
ri Quædam ſtipulatio eſt rerum mobilium,
ſon. Quædam res mobiles in natura non exiſtentes inutiles cenſendæ ſunt.

DE SYLLOGISMO expoſitorio.

Dialectici ſyllogiſmũ duplicē eſſe aiũt, aliquē eſſe cõmunem, aliquē eſſe expoſitoriũ. quorũ illũ eſſe dicũt, qui medium habeat cõmune, cuius exempla paulò ante à nobis relata ſunt. hũc uero expoſitoriũ eſſe ſcribunt, cuius mediũ ſit nomē ſingulare uel indiuiduũ. ut dũ ita colligo:

Hæc eſt obligatio,
Et hic eſt contractus,
Ergo contractus eſt obligatio.

Vides autem huic ſyllogiſmo in tertia figura locum competere. Item:

Hoc eſt ius,
Et hæc eſt ſeruitus,
Ergo ſeruitus eſt ius.
Hæc eſt actionis excluſio,

Et hæc

Et hæc eſt exceptio,

Ergo exceptio eſt actionis excluſio.

Cæterum dicitur ſyllogiſmus expoſitorius, quòd per illū propoſitiones cōmunes exponuntur & illuſtrantur. uerbi gratia, ſi cui dubium ſit: An cæcus magiſtratū gerere poßit, huic dubio ita fidem facere poſſumus:

Appius Claudius erat cæcus,

Appius Claudius magiſtratum geßit,

Ergo magiſtratum gerere Cæcus poteſt.

Quem ſyllogiſmum habes tractatū in l.1.§.nunquid ergo ff. de poſtulando.uerba §.ſunt: Nunquid ergo & magiſtratus gerere cæcus poßit? Sed de hoc deliberabimus, extat quidem exemplum eius qui geßit. Appius Claudius cæcus conſilijs publicis intererat & in ſenatu ſeuerißimam dixit ſententiam de Pyrrhi captiuis. Hæc exempla opinor facient, ut iuuenis iuris ciuilis ſtudioſus exempla ſimilia & ipſe effingere & obſeruare poßit.

DE ENTHYMEMATE.

Ariſtoteles in lib. Rhetoricorum primo, Enthymema inquit eſt ſyllogiſmus imperfectus ἐκ εἰκότων καὶ σημείων *conſtitutus,* εἰκότα *uerò uocat* ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενα *(ſic enim ipſe inquit) id eſt, ea quæ ut plurimum accidere ſolent. ut Reus eſt, ergo iudicium fugere uoluit. Nam reorum eſt, ut communiter iudicia lubēter fugiant. Proinde & rei apud Græcos* φεύγοντες *appellātur, in l. cum & iudices C. de iudi. Itē tutor pauper eſt, ergo ſuſpectus eſſe debet. qua de re uide § ultimū Inſti. de ſuſp. tuto. Porrò* σημεῖα *Ariſtoteles uocat et ea quæ neceſſaria ſunt, et quæ probabilia exiſtūt. Neceſſaria quidē ut Sempronius*

actionem in Titium intẽdit, ergo Titium in ius uocauit. Item debitor à creditore apocham accepit, ergo aut aliquam debiti partem aut inſolidum debitũ reſoluit. Item ſententia à iudice fuit lata, ergo partes auditæ fuerunt. De probabilibus paulò ante exempla attulimus, quum diceremus de ſignis. Porrò enthymema ita alioqui finitur: Enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus, ut qui conſtat antecedente & cõſequente. Verbi gratia, tacitæ conuentiones ualent, ergo in urbanis habitationibus locãdis inuecta illata pignori eſſe locatori, etiam ſi nihil conuenerit, debẽt. quo enthymemate uſus eſt Paulus in l. itẽ quia ff. de pactis. Eſt autem maior cum cõcluſione. Item priuatæ pactiones non lædunt ius cæterorũ. Ergo tranſactione, quæ inter hæredem & matrem defuncti facta eſt, neq; teſtamẽtum reſciſſum uideri poteſt, neq; manumiſſis uel legatarijs actiones ſuæ ademptæ ſunt, in l. imperatores ff. de tranſact. Item Sempronius actor noluit iurare de calumnia, ergo litem perdidit. Titius reus iuramentum calumniæ iurare noluit, ergo cõdemnatur. hic deeſt maior. Item ille de crimine quo damnatus eſt paciſcitur, ergo intelligitur confiteri crimen, l. quoniam ff. de his qui notan. infa. hic deeſt quoq; maior. Item Sempronius alium defendere uult, ergo ſatiſdare cogitur, in l. qui proprio nomine ff. de procurato. hic quoq; maior deeſt, quæ eſt: Qui alium defendere uult ſine ſatiſdatione facere nõ poteſt. Exempla Enthymematum in legibus ſunt innumera, nam nulla ferè eſt lex, quin Enthymema quoddam, ſi quis introſpiciat, occultet. Cicero in Topicis ſcribit, illa propriè dici Enthymemata, quæ ex cõtrarijs ducantur,

ut pro

ut proprietas fundi Sempronio legata eſt, ergo nõ uſuſfructus illi legatus eſt. uide §. uſus fructus Inſti. de uſufructu. Item, Titius poſſeßionem fundi habet, etiam ergo putas quòd dominium fundi obtineat? Item, ſi non actione aliqua contra illum experiris, ergo nõ damnandum eſſe poſtulas. Item, legatus tibi eſt uſusfructus, ergo non abuſus. Eſt forma quædã enthymematis qua à diuiſis ad coniuncta proceditur, ut emptio eſt obligatio, & quidẽ conſenſus, ergo eſt obligatio conſenſu conſtans, §. 1. Inſti. de obliga. Item Sempronius eſt fideiuſſor & eſt idoneus, ergo eſt idoneus fideiuſſor. repulſio actoris eſt exceptio & eſt dilatoria, ergo eſt dilatoria exceptio. Titius eſt iudex & eſt delegatus, ergo eſt delegatus iudex. Eſt & forma enthymematis ab eſt tertio adiecto ad eſt ſecundũ adiectum. ut Titius eſt legatarius, ergo Titius eſt. Mutui datio eſt obligatio quæ re cõtrahitur, ergo mutui datio eſt. Sempronius eſt libertinus, ergo Sempronius eſt.

DE INDVCTIONE.

Ariſtoteles in Topicis, inductionem ita finit. inductio eſt oratio per quam à ſingularibus uel minus cõmunioribus ad uniuerſalia ꝓgredimur. ut ſi ꝓbare uelim. Omnẽ contractum eſſe obligationẽ, ita colligere poſſum. Contractus mutui eſt obligatorius, contractus locati, emptionis, depoſiti eſt obligatorius, & ſic de ſingulis, ergo oĩs cõtractus eſt obligatorius. Item ſi probare uolo, oẽm actionẽ eſſe ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur, ſic ratiocinari poſſum: actio realis eſt ius perſequẽdi in iudicio quod ſibi debetur, actio perſonalis, Publiciana, Seruiana, hypothecaria, de peculio, & ſic de cæteris &c.

Ergo omnis actio eſt ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur, uide titulũ Inſtitutionũ iuris ciuilis de actiõibus. Item ſi ꝓbare cõtendã omnẽ exceptionẽ peremptoriã litem perimere, ita ἐπαγωγὴν poſſum. Exceptio doli mali eſt perẽptoria & perimit litẽ, ſic etiã exceptio rei iudicatæ, exceptio pacti cõuenti, exceptio quod metus cauſa, & ſic de cæteris, Ergo omnis exceptio perẽptoria litẽ perimit, §. appellantur autem Inſti. de excep. & l. exceptiones ff. eodem tit. Exempla alia inductionis ſtudioſus iuris ciuilis ſuopte marte obſeruet & huc referat.

DE EXEMPLO.

Prædictis ſpeciebus argumentationis plæriq; adiungunt exemplum & ſoriten.

QVID EST EXEMPLVM.

Exemplum eſt, quando unum particulare per aliud probatur propter ſimile quod in utroq; cõſpicitur. ut eſt illud, patroni liberto exiſtente pupillo, ſunt legitimi eius tutores, ergo etiã patres exiſtente filio emancipato eius legitimi ſunt tutores. Nã utrobiq; datur ſucceſſio ab inteſtato. Inſtitu. de legit. agna. tutel. ab exemplo colligit l. ſi rem ff. de excep. propoſitio eſt, ſi rẽ legatam petat legatarius de dolo teſtatoris excipitur, mox argumentum ab exemplo ſequitur. Nam ſicut hæres qui in uniuerſum ſuccedit ius ſubmouetur exceptione, ita & legatarius debet ſubmoueri quaſi unius rei ſucceſſor. ab exemplo colligit Vlpianus in l. 1. ff. de poſtul. Appius Claudius cæcus magiſtratum geſsit, ergo etiam cæcus magiſtratum gerere poteſt. Porrò hoc genus argumentationis in iure aliquid ualere uel ex l. 1. C. de repud. conijcere licet. Nam

ſic

ſic imperator dicit: Matrimoniũ *deportatione uel aquæ & ignis interdictione non ſolui quidem, ſed ut dos non repetatur nec rationem æquitatis nec exempla permittere.*Porrò *in exemplis etiam atq; etiam curãdum eſt ne aliqua diſsimilitudo ſubſit .* Nam *ut ſimilitudo eſt in exemplis cauſa cõſequentiæ, ita diſsimilitudo facit quod cõſequens cũ antecedente cohærere nequeat. uerbi gratia, diſsimilitudo eſt quum ita colligimus:* Bartholus,*Baldus, Salicetus & ſi qui aliſ ſunt gloſſularij, ſine literarũ humanarum cognitione, iuris ciuilis ſtudia adierunt, ergo & nobis omnis humanitatis ignaris iura ciuilia adeũda erunt.diſsimilitudo inquam hic eſt.*Nam *non ſtatim illud quod ueteres gloſſographi fecerunt, id nobis quoq; faciendum eſt.*Etenim *fecerunt illi multa,partim ſæculi uitio coacti,partim ſtolidis præceptorum conſilijs cõpulſi. nobis uerò qui et ſæculo feliciore dei opti.max.benignitate uiuimus, & prudentũ præceptorũ cõſilijs uti poſſumus,alia quadã uia ad iura ciuilia recte diſcenda ingrediundum erit, ſimilitudo eſt in exemplis quũ ita colligo.* Nerua *filius decimo & ſeptimo anno publice de iure reſpondit,* Ergo & Petrus *id ætatis homo iuris ciuilis peritus eſſe poteſt l.1.ff.de poſtulando.*Sed *de hac ſpecie argumentationis ſatis.*Venio *ad Soriten.*

DE SORITE.

Sorites eſt argumentatio aceruali, uel aceruus uocum quæ neceſſario copulãtur, ut ſpecierum, generum, cauſarum,effectuum. Cuius argumentationis, ut obiter indicem,memor eſt Perſius *ſatyra ſexta.inuentus* Chryſippe *tui finitor acerui.*

SORITIS EXEMPLA SVNT.

Emptio eſt contractus, Contractus eſt ultro citroq; facta obligatio, Ergo emptio eſt ultro citroq; facta obligatio. Prima propoſitio eſt manifeſtiſsima, ſecunda probatur per l. Labeo ff. de uerb. ſigni. Item, Mutui datio eſt obligatio, Obligatio eſt iuris uinculũ qđ parit et actionẽ et exceptionẽ, ergo mutui datio eſt iuris uinculũ qđ parit actionẽ & exceptionẽ. Prima ꝓpoſitio eſt clariſsima, ſecũda probatur per §. nũc trãſeamus Inſt. de oblig. Item defenſio ſua ipſius eſt de iure naturæ, Ius naturæ eſt ſentẽtia mẽtibus noſtris diuinitus inſcripta, cui oẽs hoĩes aſſentiũtur, Illud cui oẽs hoĩes aſſentiuntur, eſt licitũ & honeſtum, Ergo defenſio ſua ipſius eſt licita & honeſta. Exẽpla plura huius argumẽtatiõis facile iuuenis ſuopte marte excogitabit. nõnulli inter ſpecies argumentationis etiam dilemma, Aſiſtaton, uiolationẽ, & enumerationem recenſent, quæ quando & aliquã in ſe probationis uim habent, à me exemplis paucis explicabuntur.

DE DILEMMATE.

Dilemma eſt argumentatio in qua utrum conceſſeris reprehẽditur. Cice. lib. de inuent. 1. uocat latine complexionem, ut: Aut iniurius erga te fui, aut non fui, Si iniurius fui, cur me in ius non uocas? Si non fui, cur me te læſiſſe paßim blateras? Dilemmate uſus eſt Papinianus in l. quòd ſi filius §. ſiue quoniam uiuo ff. de capt. Nam cum duo ſint τὰ κεφάλαια, cur tabulæ pupillares peſſum eant, tum ſi uiuo patre impubes mortem obit l. ſi pater in fin. ff. de uulga. & l. ij. eo. titu. tum ſi impubes uiuente patre ſui iuris euadit, dicta l. ij. Vlpianus ſic per dilẽma probat

tabulas

tabulas pupillares peſſum iuiſſe, Mortuum eſſe filium aut uerè accipimus aut ſimulamus, dicam an repræſentamus, ſi uerè filius eſt mortuus, utputa mortem naturalem obijt, tabulæ ceciderunt uel peſſum iuerunt: ſin fictè & repræſentatiuè obijt, quia pater apud hoſtes obijt, iſto tempore quo filius adhuc uita fruebatur, & filius ſui iuris factus eſt, tabulæ rurſum peſſum iuerunt. Item in l. *in ratione* §. *ſi filio ſuo ff. ad l. Falcidiam, tale dilemma colligi poteſt: Aut dices hunc ſubſtitutũ Falcidiã detrahere ex ſua perſona, & nõ poteſt, quia quartam & forte plus quarta habet: Aut ex perſona pupilli inſtituti, cæterũ is quoq; ſibi ipſi nõ poteſt detrahere cũ uel ſua legata ſint intra modũ, Igitur neutrobi detrahet. quod enthymema, ne quẽ ſua gloria defraudẽ, obſeruauit doctiſſimus ille iuris ciuilis interpres* Vdalricus Zaſius. *Porrò ratio diluendi dilemmata cõſtat partim cõuerſione, partim alterius partis reprehenſione. Cõuerſione:* Vt *in hunc actionẽ ne intẽdas, nã ſi fatetur quod obijcis, quur in eũ agis qui cõfitetur? ſin negat fruſtra egeris. nam quod tu illi obijcis, cõfitebitur nunquã. hoc enthymema per cõuerſionem ita diluetur.* Immo *actio mihi in hunc intendenda eſt, nam ſi cõfitetur, actione mea uici, ſin inficiabitur, argumentis perſpicuis eũ conuincã.* Alterius *partis reprehẽſione hoc modo,* Immo, *quia cõfitebitur crimen quod illi impinguã actione, actio mihi in eũ inſtituenda eſt, ut me non calumniari illum nemo nõ intelligat.* Exemplum *elegans confutandi dilemmata eſt in l. d.* § *.d. ff. ut ſupra.*

ASISTATON.

Latinis dicitur, non conſiſtens, q. uel non conſiſtat uel

quòd rationem rei nõ adferat. ut ſi quis ita colligit: Vim *ui repellere licet,nam* Milo *uim* Clodij *à ſe depulit,ratio rei nõ adfertur,nam non ideo uim ui depellere licet,quia* Milo *uim* Clodij *à ſe depulit, ſed quia oẽs leges omniaq́; iura permittunt in l.ſcientiam* § *.qui cum ff.ad l.*Aqui*liam.*Item *dum ſic colligo,emptio & uẽditio nõ eſt contracta,quia precium nondũ numeratũ eſt, nec arra data eſt,argumẽtũ eſt aſiſtaton.quia nõ ratio rei adfertur.*Nã *non ideo emptio & uenditio cõtracta nõ eſt,q̃ nõ preciũ numeratũ,nec arra data ſit,nam quòd arræ nomine datur,argumentũ tantũ eſt emptionis & uenditionis cõtractæ,ſed quia nondũ de precio cõuenit* § .1. Inſti*.de empt. & uend.*Item Aſiſtaton *eſt,quũ ita colligo.teſtamentum eſt perfectũ,quia in ſcripta redactũ.* Cauſa *eſt falſa.nam nõ ideo teſtamentũ eſt perfectũ, quia in ſcripta redactũ, ſed quia ſolennitate iuris obſeruata compoſitum eſt.uide* Inſti*.de ordinan.teſtamen.*

DE VIOLATIONE.

Violatio *eſt argumentatio in qua ex aduerſariorum ratione, non id quod ipſi uolunt, ſed quod pro nobis eſt, ſequi demonſtratur.* Hæc *in confutatione tantũ adhiberi poterit.*Dicta *porrò uiolatio,quoniã nobis nõ facile in refutando quicquam inueniri poſſe uidetur, quod maiore ui aduerſarios urgeat.*

EXEMPLA.

Si quis diceret:Sempronius nõ eſt tutor,quia perſonæ Titij *pupilli tutelam.non rerum etiam tutelam & defenſionem ſuſcipit.* Immo *hac gratia Sempronius tutor eſt, quia* Titij *perſonam tuetur.nam tutor propriæ perſonæ tuendæ*

tuendæ & defendendæ datur, ut omnium Iuriſconſultorum ore frequentatur. & habes in §. ad certum tempus Inſti. qui teſtam. tuto. Item ſi quis ita dicat: Titius tutor quaſi ſuſpectus remouendus eſt, quia ut maxime ex fide tutelam gerat, tamen paupertate premitur. hic reſpondere poſſum, immo quamuis Titius pauper eſt, quia ex fide tutelam gerit, non eſt remouendus quaſi ſuſpectus per §. ultimum Inſtit. de ſuſpect. tuto.

DE ENVMERATIONE.

Enumeratio eſt argumentatio, in qua pluribus rebus expoſitis ac cæteris infirmatis una reliqua neceſſario cõfirmatur. Verbi gratia. Tu dicis me tecũ iniuiſſe obligationẽ, quæ cõſenſu cõtrahitur. Iam cũ cõſenſu obligationes fiant, in emptionibus, uenditionibus, locationibus, conductionibus, ſocietatibus, mandatis, neceſſe eſt ut aut aliquid à me emeris, aut conduxeris, aut ſocietatẽ aliquarum rerũ mecũ cõtraxeris, aut mãdatũ tibi à me ſit aliquid, ſed nullã harum obligationũ mihi tecũ intercedere probare potes: Proinde relinquitur, me tecũ nõ iniuiſſe obligationem ullam quæ cõſenſu contrahitur. uide Inſti. in titu. de obliga. ex conſenſu. Item ſi quis dicat ſe manumiſſum eſſe ab aliquo ita rationari poſſum: Tu te manumiſſum eſſe dicis, iam quum manumiſſio fiat aut ex ſacris conſtitutionibus, aut in ſacroſanctis eccleſijs aut uindicta, aut inter amicos, aut per epiſtolam, aut per teſtamentum, aut per aliam quamlibet ultimam uolũtatem, §. multis modis Inſti. de libertatib. & alijs modis tam in ueteribus quàm nouis legibus oſtenſis, oportet ut oſtẽdas te aliquo modo manumiſſionis manumiſſum eſſe, id quod

cum non facias nec facere poſsis, efficitur te non manumiſſum eſſe.Porrò argumentatio per enumeratione͂ infirma eſt quum aut à nobis aliquid prӕteritur, aut aliquid eorũ quod dictum eſt,ita infirmum eſt ut contradici poſsit.Verbi gratia.Tu dicis rei iſtius dominium ad tē pertinere iure naturali.Iam iure naturali acquirimus rei dominium,aut occupatione,captiuitate,inuētione, procreatione,alluuione, aut quia ex aliena materia rem fecerimus,aut ex aliena & noſtra commiſtione,implantatione,ſatione,ӕdificatione,ſcriptura,pictura,re bona fide poſſeſſa,uſufructu,inuētione in § .plurimis Inſt.de re: diuiſi.At tu nullo modo dominiũ acquirēdi iure naturali rem iſtã ad te pertinere,ꝓbare potes,igitur rei iſtius dominiũ iure naturali uēdicare tibi quinã audes?Hic inſufficiens fuit enumeratio,quia à nobis prӕterita eſt traditio, nuda conuentio,clauiũ traditio, quibus rebus dominium rerum etiã iure naturali acquiritur,exēpla huius argumentationis plura iuuenis conquirere in ll.poteſt.

LIBER IIII.

DIALECTICAE LEGALIS.

IN LIBRO *tertio explicauimus eam* Dialectices partē,*quӕ in iudicãdo maxime cõſiſtit,nēpe quӕ docet quomodo argumenta connecti debeant, & iam connexa,recte an praue connexa ſint dijudicat. Nam quod heraclius lapis eſt probando auro, uerum'ne an adulterinum ſit,id iudicatiua* Dialectica *eſt in dicandis argumentis,an illa uere an falſo cohӕreant , an conſen*

conſentiant,an diſſentiãt,an apte an inepte rei aut probandæ aut improbandæ adhibita ſint.ſupereſt,ut & Dialecticam τοπικὴν,uel ut latini uocãt localem excutiamus, quæ inde nomen habet quòd oblato themate quocunq; tandem,locos è quibus argumenta,ad thema probãdum aut improbandum neceſſaria expromi poſſunt,oſtendit. id quod in libro primo etiam exemplis quibuſdam oſtendimus. Et quando illa Dialecticæ pars tota in locis uerſatur,locum finiemus.

QVID LOCVS.

Locus,autoribus Ariſtotele & Cicerone, eſt argumentorum ſedes,id eſt locus eſt illud à quo ad thema propoſitũ argumenta idonea proferuntur.Exemplum:ſi proponatur thema ſimplex,obligatio, recurrendum eſt ad Dialecticam τοπικὴν, quæ illico nobis monſtrabit locos, id eſt uniuerſales,& notiſsimas propoſitiones è quibus thema oblatum tractari poßit:ut ſunt.

Primus locus,quid ſit obligatio. Eſt autem obligatio iuris uinculum quod parit actionem & exceptionem §. primo Inſtitut.de obligat.

2 *Cauſa obligationis,quæ eſt cõſenſus & contractus.*

3 *Quàm multiplex. Eſt autem obligatio duplex naturalis & ciuilis,ubi etiam natura utriuſq; obligationis aperienda uenit.*

4 *Officium obligationis utriuſq;. ſic officium ciuilis obligationis eſt,parère quidem actionem,ſed non exactionem,niſi in duabus ſpeciebus,quas longum eſſet hic recenſere.officium naturalis obligationis eſt,ut quamuis nõ pariat actionem,tamen exceptionem pariat &c.*

Collatio

Digitized by Google

5 Collatio utriuſq; obligationis.

6 In quibus conueniant,in quibus non cōueniant obligationes iſtæ. En uides quomodo Dialectica τοπικὴ propoſito themate,locos è quibus argumenta erui poſſint,commonſtret. Quòd ſi thema compoſitum proponatur,ut imperitia medici culpæ adnumeratur §. imperitia Inſtit. de lege Aqui. Dialectica τοπικὴ indicat locos, è quibus argumenta à uocibus thematis deduci poßint. Nam monſtrat,ut finiamus ſubiectū imperitiā, quæ eſt, quando medicus ſecus atq; debet,aut medetur pharmacis homini,aut hominem ſecat. Deinde monſtrat,ut finiamus culpam & diuidamus, quo notum fiat, cuinam culpæ medici imperitia ſubiaceat. In rerum autem diffinitionibus & diuiſionibus Dialectica iudicatiua dominatur, ut quæ iudicium fert apté ne res in finitionibus copulentur, aptá ne diuiſio rerum facta ſit. Sed de hac re ultra modum,uel intra modum potius diximus.

DIVISIO LOCORVM.

Locorum alij ſunt externi, alij interni. externi ſunt illi qui extra cauſam exiſtunt,ut locus à præiudcijs, rumoribus,tormentis,tabulis,iureiurando,teſtibus. Interni ſunt illi qui rebus ipſis inhærent & ſunt loci.

	Finitione.	Forma.
	Etymologia.	Repugnantibus.
A	Coniugatis.	Relatiuis.
	Toto.	Cauſa.
	Partibus.	Ordine.
	Genere.	Simili.
	Specie ſeu	Differentia.

A	Contrarijs.	Scripto.
	Adiunctis.	Sententia contra
	Antecedentibus.	Scriptum.
	Conſequentibus.	Effectu.

	Maiorum.
A comparatione	Minorum.
	Parium.

Ab extremis.

	More.
	Opinione.
	Natura.
	Qualitate
A uerisimili, ſub	rei uel
quo comprehen-	perſonæ.
dimus locum à	Tempore.
	Loco.
	Signis.
	& circun-
	ſtantijs.

DE LOCIS EXTERNIS.

Mihi dicturo de locis externis primo omnium aduerſatur Cicero in Topicis, qui locos externos ad diſputationes iuris nihil pertinere ſcribit. deinde & obſtrepit c. forus, de uerbo. ſignifica. ubi dicitur, argumentum nunquàm teſtibus nunquàm tabulis dat probationem, ſed ſola inueſtigatione inuenit ueritatem. Nam tam ex Cicerone quàm ex c. iam dicto colligi uidetur locorum externorum ὥσπερ μιλταρίων apud Iuriſconſultos nullam ha-

bendam

bendam eſſe rationem. Verum ego ad Ciceronem reſpon deo, ꝙ ſi loci externi ad iuriſconſultorum diſputationes nihil pertinent, cur tam multa, quatenus teſtibus, famæ, quæſtionibus, tabulis, fides adhibenda ſit, in iure tam pon tificio, quàm ciuili memoriæ prodita exiſtũt? Tum quur in iudicijs à locis externis non raro teſtimonia & argu menta adſumuntur?

Ad cap. ſorus reſpondeo, illud nõ prorſus omnem fidẽ locis externis adimere, ſed hoc uelle: Nunquàm illis locis externis plenam probationem rerum fieri poſſe, ſi alij lo ci deſint. unde etiam illud iuriſconſultorum ſermonibus frequentatur. locum à fama alijs adminiculis ſuffultum probare. Item & illud in ore eſt, ex fama præſumptionẽ oriri. ex quibus iam nemini non apparere poteſt, illos lo cos non omnino nihil uel ad iuriſconſultos pertinere uel ad fidem faciendam conducere. Quare de illis locis pri mo quædam dicemus, & primo omnium de præiudicijs.

DE PRAEIVDICIIS.

Præiudicium, autore Aſconio Pediano, eſt res quæ cũ ſtatuta fuerit adfert iudicaturis exẽplũ, quod ſequantur. Fabius tria præiudiciorũ genera recenſet. Vnũ, quod ex paribus cauſis ſumitur, quod exemplũ rectius appellari autumat. ut quemadmodũ Sempronius ꝙ alienas nuptias temerauit, gladio punitus eſt, idq; ex præſcripto & ſan ctione leg. Iuliæ de adulterijs, ita & Titius eiuſdem cri minis reus eadẽ pœna adficictur, in §. itẽ lex Iulia, Inſtit. de pub. iudi. Item qđ lex Iulia punit in Titio de ui pu blica conuicto, cur non etiam in Sempronio de eadem ui conuicto puniret? §. Item lex inſtitu. de publ. iudi.

Alterum præiudicij genus eſt, quod ad cauſam ipſam de qua agitur pertinet. ut in cauſa Milonis, ubi aliqua præiudicia lata fuerant, quorum primum erat, non eſſe fas ei intueri lucem, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. Secundum, Senatum ſtatuiſſe q́ incendium Curiæ, oppugnatio ædium M. Lepidi, & cædes in uia Appia facta, ſit contra rempub. Tertium, Pompeium legem nominatim de ui & cæde P. Clodij tuliſſe. Tertium præiudiciorum genus eſt, quòd de eadem cauſa pronunciatum eſt. ut ſi eadem pœna in Sempronium qui malo dolo hominem occidiſſe cõuincatur, pronuncietur, quæ fuit pronunciata in hominē dolo malo occidentem. Porrò, ut paucis dicā præiudicia appellare poſſumus omnia, quæ per reſponſa iuris prudentum, edicta pretorū, conſtitutiones imperatorū, iudicata & ſtatuta ſunt. ut oſtendit imperator Iuſtinianus in § cõſtat & § quod principi placet inſtit. de natur. iu. &c. A præiudicijs ita poſſumus argumentari. illud quod prudentiſſimorū hominū reſpõſis ſancitū, obſeruatumq; eſt merito nobis ſacroſanctum eſſe debet. Sed hoc uel illud prudentiſſimorum hominum reſponſis ſancitum obſeruatumq; eſt &c. Ergo merito ſacroſanctum nobis erit. Item quod ſacroſanctis Imperatorum conſtitutionibus decretum eſt, legem eſſe conſtat l. 1. ff. de conſtit. Princip. ſed diuus Pius, eos qui literas neſciūt à tutela excuſandos eſſe ſcripſit § ſimiliter Inſt. de excu. tut. Ergo illud legis loco habebitur. quo genere argumenti Iuſtinianus in Inſtituti. ſuis ſubinde utitur.

A RVMORIBVS.

A rumoribus uel fama (non enim in præſentia alterū ab altero

ab altero diſtinctũ eſſe uolumus) etiam argumentamur, nec argumentum prorſus infirmũ eſt, ſi alia adminicula adſunt, ut eſt gloſſa in c. ueniẽs in uerbo illorũ, de proba. Et Bartholus *in l. proprietatis* C. *de probatio. ſcribit famam quidẽ nõ probare dominiũ, ſed coadiuuare. in l. tertia ff. de probatio.* Caliſtratus *ita dicit. aliàs ueluti fama conſentiẽs confirmat rei, de qua quæritur fidẽ. ubi quoq;* Accurſius *in uerbo confirmat, multa adfert, quæ ad locum à rumore ſeu fama cõprobandũ ualde faciũt. Quid? quòd* Bartholus *in dicta l. proprietatis, ſcribit famam aliquando inducere iuſtam cauſam credendi, & ſic creare titulum, ut ita dicam, putatiuum, qui ſufficiat ad præſcriptionem, ut eſt uidere in l.* Celſus C. *de uſuc.* Formula *argumentãdi à fama talis eſſe poteſt: non omnino uanũ eſſe illud, quod fama & rumore populari iactetur, proinde fidem ſi non prorſus facere, at ſaltem ſuſpicionẽ excitare, ut non illud omnino falſum eſſe & fictum credamus.*

A TORMENTIS.

Quatenus *fides adhibenda ſit loco à tormentis iuuenis ſtudioſus legat in titulo* C. *de quæſtionibus. ſed quid obſtat quo minus hic referã pulcherrima uerba* Vlpiani *qui in l. 1. § . quæſtioni, ita inquit:* Quæſtioni *fidem non ſemper nec tamen nunquam habendam conſtitutionibus declaratur.* Etenim *res eſt fragilis & periculoſa, & quæ ueritatẽ fallat. nã pleriq; pertinatia ſiue duritia tormentorum, ita tormẽta contemnũt, ut exprimi ab eis ueritas nullo modo poſſit. alij tãta ſunt impatientia, ut in quouis mẽtiri, quàm pati tormẽta uelint, & ita fit, ut etiam uario modo fateantur, ut non tantum ſe, uerum etiam alios criminentur.*

Digitized by Google

criminentur. Praeterea inimicorum quæſtioni fides habe ri nõ debet, quia facile mentiũtur: nec tamẽ ſub prætextu inimicitiarum detrahenda erit fides quæſtioni, ſed cauſa cognita habenda fides, aut non habenda. hæc ille. Porrò *formula argumẽtandi à tormentis ſeu quæſtionibus hæc eſt. Maiores noſtri prudẽtiſſimi nõ fruſtra cõſtituerũt ut cõfeßis in quæſtionibus habeatur fides, quare et illis quæ* Titius *in quæſtionibus cõfeſſus eſt, fides nõ derogabitur. Item ſic.* Iuris *ciuilis conditores nos non credulos debere eſſe ad ea quæ multi in tormentis fateantur, monuerunt, iccirco ſtultum eſt hunc reum ex illis quæ cõfeſſus ſit in tormentis, illico condemnandum cenſere.*

A IVREIVRANDO.

Non fidẽ iureiurando detrahendam eſſe indicat l. admonendi ff. de iureiu. in fin. dum inquit: Quòd *ſi aliàs iureiurando tranſactũ ſit negociũ, non conceditur eandem cauſam retractare. Cæterũ formula colligendi à iureiurando eſt.* Nemo *eſt tam malæ conſcientiæ, qui lubenter falſo iuramento animam ſuam oneret, aut quum* Sempronius *iurarit ſe debitum, quod* Titius *ab eo petit, diſſoluiſſe, merito iuramento illius ſtandum erit.*

A TABVLIS.

Nomine tabularum intellige apochas antapochas, teſtamenta, inſtrumenta publica. de illo loco à tabulis multa memoriæ prodita extant, in titul. C. *de fide inſtrumen. & ff. eod. titu.* Ab *hoc loco ita colligere potes: quòd* Titius *hæres exiſtat ex ipſius teſtamento, quod rite & perfecte factum ſit liquido conſtare, quare non diu diſputandum, an* Titius *hæres ſit nec'ne.*

A TESTIBVS.

De hoc loco plurima in iure ciuili ſcripta extant. ut in tit.C.de teſt.in ff.eo.titu.&c.forma colligendi à teſtibus hæc eſt: Teſtibus fide dignis fidem non derogari poſſe, At Sempronium in Titium uerbis cõtumelioſis inuectum eſſe, teſtibus fide dignis probari poſſe, Ergo Sempronium à Titio uerbis cõtumelioſis læſum, meritò credendũ. En paucis, locos illos externos, explicaui, de quibus ſi omnia quæ interpretes hic illic tradiderunt congerere uoluiſſem, liber hic Iliade(ut in prouerbio eſt) prolixior futurus erat. At quum iſtum laborẽ ſcribendi Dialecticam hac gratia ſuſcepi, ut paucis oſtendam, quiſnam in iure ciuili dialecticæ uſus eſſe queat, hæc paucula à me dicta, de locis illis externis ſuffecerint. nunc uenio ad locos internos, quos quoq; quo ad eius fieri poteſt, pauciſsimis perſtringam.

LOCVS A FINITIONE.

Finitio autore Ariſtotele in Topicis, eſt oratio quod quid eſt ſignificans. finitio conſtare debet ex genere & differentia, ut adnotauit Bartholus in l.1.ff.de teſtamen. A finitione colligimus & affirmatiue et negatiue. Affirmatiue hoc modo, tutela eſt uis atque poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe nequit defendere, iure ciuili data & permiſſa, §.1. Inſtit.de tut. ab hac definitione hoc modo ad definitum colligimus.

Tutela eſt poteſtas & uis defendendi pupillũ qui per ætatem ſe nequit defendere, Sempronius habet poteſtatem defendendi pupillum, Ergo Sempronius habet tutelam. Item dum ita colligo. Pactio eſt duorum pluriumúe in idem

in idem placitum & conſenſus, Titius *cum* Petro & Ioanne *in idem conſenſit,* Ergo Titius *pactionem cum* Petro & Ioanne *iniuit.*

Negatiue *autem ſic poſſumus colligere.* Titius *nec deſiderium ſuum, nec amici ſui in iure apud eum, qui præeſt iuriſdictioni expoſuit, nec alterius deſiderio contradixit,* Ergo *non poſtulauit.uide l.1.ff.de poſtula.* A *finitione colligit imperator in l.depoſiti.*C. *depoſiti.* Furtum *eſt contrectatio rei alienæ inuito domino.*

Depoſitarius rem depoſitam inuito domino contrectauit, Ergo *depoſitarius furtum commiſit.* A *definito quoq; argumenta commode duci poſſunt.*

Sempronius eſt diligens tutor Titij, *proinde diligenter curat & tuetur* Titium *ipſum et bona eius.ubi audis à nobis exponi nomen tutoris,qui à tuendo primū perſonam,cui principaliter datur, deinde à tuendis bonis pupilli dictus eſt,§.tutores* Inſt.*de tut.*Item Titius *eſt mandatarius, igitur officium gratuitum ſubiuit rem quampiam expediendi.uide §.in ſumma* Inſti.*de mand.*Additæ *ſunt huic loco quædā maximæ,id eſt, uniuerſales propoſitiones & notiſſimæ,quæ loci uſum demonſtrant.*

*Prima eſt,cui definitio cōuenit, ei conuenit & definitum,& econtrario, uerbi gratia. Superficiarius eſt,qui in alieno ſolo ſuperficiē ita habet ut certā penſionē præſtet l.id eſt ff.de rei uēd.Sempronius in alieno ſolo ſuperficiem habet,de qua certā penſionem præſtat,*Ergo *Sempronius eſt ſuperficiarius.hic uides definitionem conuenire Sempronio,ergo etiam definitum ei conuenit.*

Secunda regula. Cui adimitur definitio ei adimitur

& definitum.ut ager uectigalis eſt, qui in perpetuum locatur l.1.ff.ſi ager uectigalis,Sempronij ager nõ in perpetuum locatur, Ergo Sempronij ager nõ eſt uectigalis.

AB ETYMOLOGIA.

Etymologia,autore Boëtio eſt interpretatio nominis alicuius, à qua an affirmatiue & negatiue colligere liceat uarie diſputatum eſt. Alciatus uerò in l. taberna ff.de uerbo ſignifi.ita rem expedit. Quando etymologia uim diffinitionis habet, quam κατ' ἀντίλιξιν Victorinus nominat argumentum tam affirmatiue quàm negatiue,ab etymologia ductum,concludit. Verbi gratia, donatio eſt doni datio,Exceptio eſt actionis excluſio,Inſtrumentum eſt, quod inſtruit cauſam. nam bene ſequitur:donatio eſt,ergo doni datio eſt &c. At quãdo etymologia naturam ſuam obtinet, argumentum affirmatiue non ita firmum eſt.Non enim ſequitur,id de meo ſit tuũ, ergo eſt mutuum l.mutuum damus § appellata ff.ſi certum peta. Negatiue uerò ualidum & firmum eſt ſatis, uerbi gratia,Res non fuit contrectata,igitur in ea furtũ factũ non eſt.quæ regula tamen nõ ἀκινητὴ eſt per omnia. nam quando ratio inuẽtionis uocabuli aliud indicat, argumentum non concludit. ut non ſequitur monaſterium à monachis relictum eſt,ergo non eſt monaſterium.Item non ſequitur,Titius pupilli rem negligit,ergo non eſt tutor. Rationem malæ conſequentiæ hanc eſſe Alciatus dicit,quòd ſi quid inductũ eſt ab eo,quod fieri debet,non ſequitur ſi id minus fiat,nomen nõ competere.Et hæc quidem ſententia eſt Alciati, à qua diſſentire nefas eſſe putarem, niſi cum pace uiri tanti dictum ſit, ſententia illa

primo rationi aduerſari uideretur. etenim quinam ratio humana intelligit, illum tutorem eſſe, qui id à quo habet nomen, non præſtat? Quinam ratio hoc adſtruere audet, illum eſſe monachum qui in urbibus frequens eſt, & nõ in loco ſolitario, ut uocabulum ipſum exigit, latitat? Si enim inquit d. Hieronymus, monachus es, quidnã in urbibus facis? Deinde quum nomina rebus cõuenientia eſſe debeant, §. eſt &, Inſtit. de donati. quomodo tutoris uel curatoris nomen ei tribuere poſſumus, qui id quod nomẽ ſignificat, non facit? ſed quid hæc τὰ πάρεργα perſequor? & ὡς Διῒ ἀντιβροντᾶν immoror? Hoc in loco plerique etiam de loco ab alluſione (quam differre ab etymologia putant) ducto, dicere ſolent. de quo ut paucis dicam, nolo iuuenem lateat ab alluſione tunc colligi poſſe, quando ſimilitudini nominis ſimilitudo quoque rationis accedat. ut quum ita colligo, in hac arte magis cæteris poteſt, ergo magiſter huius artis eſt. plerique enim magiſtrum, quòd cæteris magis poßit, dictũ exiſtimant. Vlpianus uerò à monſtrãdo uel monendo magiſtros eſſe dictos ſcribit in l. cui præcipua ff. de uerb. ſignifi.

A CONIVGATIS.

Coniugata, autore Cicerone, dicuntur quæ eiuſdem ſunt generis, id eſt, quæ ab uno quopiam profecta uarie inflectuntur, ut prudentia, prudens, prudenter, iuſtitia, iuſtus, iuſtè. Ab iſto loco ſic poſſumus ratiocinari: pater eſt, ergo patriã poteſtatem in liberos habet: ciuitate Romana donatus eſt, ergo ius ciuium Romanorũ in liberos obtinet, §. ius aũt poteſtatis Inſt. de pat. poteſt. Item Sempronio fundi uſusfructus legatus eſt, ergo utetur fruetur

fundo, §. uſusfructus Inſti. de uſufruct. Item cognatus eſt, ergo ius cognationis habet. poſſumus & ab hoc loco negatiue argumentari, ut homo nõ eſt in fructu, igitur fructuarius non fruetur, in l. fœtus §. nec enim ff. de uſufru. Titius non adoptatus eſt, ergo non in familiã patris adoptiui tranſijt, §. ſed hodie Inſtitu. de adop. Sempronius non utitur uſufructu ut uirum bonum decet, ergo uſufructuarius non eſt. Nam uſufructuarij eſt pro uiri boni arbitratu uſufructu uti, frui, l. 1. §. cauere ff. uſufructuarius quemadmodum caue. Item ius ciuitatis amiſit, ergo ciuis eſſe deſijt, §. cum autem Inſtitu. quibus modis ius pat. poteſt. ſol.

A TOTO ET PARTIBVS.

Totum habet partes quaſdam ſine quibus eſſe poteſt. ut domus eſſe poteſt etiam ſi ſcalæ & columnæ non ſint, nam illæ nõ quòd domum conſtituant, ſed quòd ad quædam in domo utibiles ſint, conſtituuntur. ut eſt in l. fundi §. Labeo ff. de acti. empt. Ab his partibus argumẽta infirma ducuntur. Aliæ partes ſunt ſubſtãtiales ſine quibus totum exiſtere non poteſt, ut ſine ſolo & fundamento domus eſſe nequit. Aliæ uocantur integrales ut parietes, cubicula, uaporaria conclauia ipſius domus, ab his argumẽta ducuntur. Bene enim ſequitur domus eſt, ergo ſolum, tectum, & parites ſunt. Parietes, ſolum, cubicula, uaporaria conclauia, & ſingulæ partes ſunt, ergo domus eſt l. eum qui ædes in principio ff. de uſucap. Item ſic leges ſunt, plebiſcita ſunt, ſenatuſcõſulta ſunt, principum placita ſunt, magiſtratuum edicta ſunt, reſponſa prudentũ ſunt, ergo ius ſcriptũ eſt, §. ſcriptũ autẽ Inſt. de iure nat.

genti. & ciuil. Item à toto ad partem uidetur colligere Caius in l. quæ de tota ff. de rei uendic. dum inquit, quæ de tota re uendicanda dicta ſunt, eadem & de parte intel ligenda ſunt, officioq; iudicis continetur pro modo par= tis ea quoq; reſtitui iubere, quæ ſimul cum ipſa parte reſtitui debent. Maxima eſt, poſito toto neceſſe eſt poni partes ſine quibus totum exiſtere nequit.

A GENERE.

A genere negatiue argumentamur hoc modo. Cōtra ctus non eſt, ergo nec emptio eſt: obligatio non eſt, ergo nec mutui datio eſt. furtum non eſt, ergo nec manifeſtū nec clanculariū, ergo nec conceptū furtū eſt. Item obliga tio nō eſt, ergo nec ſtipulatio, quæ illatio firmatur per l. fin. in princ. de uſu. rei iudi. Aliquando etiam affirmatiue à genere ad ſpeciem argumentamur, quum generi ſignū uniuerſale omnis præponitur, hoc modo, omnis cōtractus eſt ultro citroq; obligatio, ergo emptio & uenditio eſt ultro citroq; obligatio. in omni contractu bona fides de= bet interuenire l. bonam fidem C. de actio. et oblig. Ergo & in cōtractibus ſtricti iuris bona fides interueniet, per gloſſam Accurſij in § actionum autem in uerbo bonæ fi dei, Inſtit. de actio. Maxima in loco iſto eſt, Cui adimitur genus, ei & ſpecies adimitur. Ad hunc locum refer argu mentum à ſuperiore uniuerſali ad inferius, unde & adfir matiue & negatiue argumentamur, hoc modo. omne ius hominū cauſa conſtitutū eſt l. cū igitur ff. de ſtatu hoīm, ergo et ius ciuile cauſa hoīm conſtitutū eſt, oīa iura nō in ſingulas perſonas, ſed generaliter cōſtituuntur l. iura ff. de leg. Ergo & iura prætoria generaliter cōſtituuntur.

Item nullus uſusfructus mortuo uſufructuario durat,ergo nec uſusfructus ædium mortuo uſufructuario durabit.

A SPECIE SEV FORMA
ut Cicero uocat.

A ſpecie ad genus affirmatiue argumẽtamur hoc modo,locatio eſt,conductio eſt,ergo contractus eſt: lex eſt, ergo ius ſcriptũ eſt. Eſt enim lex ſpecies iuris ſcripti, §. ſcriptum autẽ ff.de iure nat. gen. & ciuil.Rei uẽdicatio eſt,ergo actio eſt, iura ciuilia permittunt cõcubinatum, ergo quoddã flagitiũ permittunt C. de concubinis.Maxima eſt, Cui tribuitur ſpecies eidem tribuitur & genus. Item poſita ſpecie ponitur & genus,in l. ſi quid earum §.interemptum & ibi Bartholus ff.de leg.iij.

AB ORDINE.

De loco ab ordine admodum ſcrupuloſe doctores diſputant,mihi locus ab ordine eſſe uidetur, quum diſputamus illa eſſe priora ſeu præſtantiora quæ primo loco ponantur,quæ antiquiora exiſtant. Item illos eſſe in cauſis priores & potiores,qui priores ed eas ueniant. unde ſic colligimus. Ius naturæ ſeu gentium eſt prius iure ciuili, ergo eſt iure ciuili præſtantius. ita colligit Iuſtinianus imperator in l. ſingulorum Inſtitut.de rerum diuiſi. Sic dicimus homines ſunt priores iure, Ergo præſtant iuri, §.omne autem Inſtitu.de iure perſo.Ad hunc locum refer illam regulam quæ nulli non iuriſconſulto in ore eſt, Qui prior appellat, prior agat. huc refer & illam regulam,Qui prior eſt tempore,potior eſt iure,in c.qui prior de reg.iur.in ſexto.alia,quæ ad hunc locum pertinent ex doctoribus peti poſſunt.

A SI

Digitized by Google

A SIMILI.

Similia dicuntur ea, quæ in qualitate una conueniunt, ut liquet ex l. qui liberis ff. de uulg. ſubſt. & probat Cynus in l. nõ poſſunt ff. de leg. quanquam ſimilia nõ ita per omnia eadẽ eſſe poſſunt quin alicubi etiã diſsimilia ſint, ut eſt in l. quod Nerua ff. depoſiti. A ſimili colligit Vlpianus in l. ait prætor ff. neg. geſt. hoc modo. quẽadmodũ ſi fideiuſſorẽ accepero negocia geſturus, aduerſus utrunq; mihi actio eſt, ita etiam ſi cũ propoſuiſſem negocia Titij gerere, tu mihi mãdaueris ut gerã, aduerſus utrunq; etiã actio mihi datur. Itẽ ut morte pupillorũ naturali, ita etiã ciuili pupillorũ morte, tutela finitur, § ſimili modo, §. Item finitur Inſtitut. quib. mod. tut. fini. Item ut fiſci adminiſtratio quã diu geritur, homines à tutela liberat, ita etiã à cura releuat, § item Inſtit. de excuſat. tuto. uel curat. Item ut lapilli & gemmæ, ita & cęteræ res quæ in littore inueniuntur iure naturali ſtatim inuentoris fiunt § item lapilli inſtit. de rerũ diui. ad hunc locum à ſimili Claudius Cantiũcula in topicis legalibus uarios locos refert, quos paucis & hic referam, & exemplis illuſtrabo.

1. *Primus à iudice ad arbitrum.*
2. *Ab emphitheoſi ad cenſum, & econtrario.*
3. *A feudo ad emphitheoſim, & contra.*
4. *A commodato ad precarium, & contra.*
5. *A legatis ad fideicommiſſa.*
6. *A Falcidia ad Trebellianam.*
7. *A contractibus ad ultimas uoluntates.*
8. *A contractibus ad quaſi contractus.*
9. *A contractu ad diſtractum.*

10. *A contractibus ad delicta.*
11. *Ab ultima uoluntate ad iudicia.*
12. *A milite ciuilis militiæ ad militem chriſtianæ militiæ.*
13. *A libertate ad piam cauſam.*
14. *Ab alimentis ad piam cauſam.*
15. *A dote ad piam cauſam.*
16. *A fiſco ad eccleſiam uel piam cauſam.*
17. *A milite ad eccleſiam uel piam cauſam.*
18. *A pupillo ad rempublicam.*
19. *Ab alimentis ad dotem.*
20. *A minoribus ad furioſos & mente captos.*
21. *A minoribus ad eccleſiam uel piam cauſam.*
22. *Ab eccleſia ad pia loca.*
23. *A matrimonio carnali ad ſpirituale.*
24. *A perſona ad* Tempus.
25. *A perſona ad res ipſas.*
26. *A re ad tempus.*
27. *A* Tempore *ad locum.*
28. *A uerbis legis ad uerba teſtatoris.*
29. *A ſeruo ad* Monachum.
30. *A liberto ad* V*aſallum.*
31. *A ſententia ad* Teſtamentum.
32. *A tributo ad decimam.*
33. *Ab ultimis uoluntatibus ad reſcriptum motu proprio conceſſum.*
34. *A ciuilibus ad criminalia.*
35. *Ab acquiſitione ad retentionem.*
36. *A dominio ad poſſeſsionem.*

Hæ ſunt

Hæ ſunt nomenclaturæ locorũ qui ad locũ à ſimili referuntur, quos exemplis et quidẽ paucis illuſtrabimus.

A IVDICE AD ARBITRVM.

Ab hoc ita colligitur, primo, ut Iudex ſententiam ex ſcripto recitare debet l.i.C.de ſenten.ex periculo recit.ita & arbiter l.i.& l.cum ab uno.de re.iud.Secundo, ut iudex ſententiam in tenebris & noctu ferre non debet, In auten.de iud.§.ſedebunt.colla.6.ita & arbiter.

Tertio ut iudici eſt copia eodem die quo ſententiã tulit, de acceſſorijs pronunciandi, ita & arbitris licet in glo l.quia arbiter ff.de arbitris.

A FEVDO AD EMPHIteoſim.

Vt emphiteota à traditione dominium utile conſequitur l.i. ff.Si ager uectig.Ita & uaſallus uel cliens c.i.§.i. de inueſtitu.Ad hoc, ut inuito domino uaſallus feudo renunciare nequit, ut eſt gl.penul.& ibi docto. in c.quæ in eccleſiarum de conſtit.Ita & emphiteota per Panormitanum in c.i.de.feu.

AB EMPHITEOSI AD CENSVM.

Ab hoc loco Claudius Cantiuncula ex Iaſone in l.i.C.de iure emph.prorſus infirma argumenta colligi, & infirmam eſſe ſimilitudinem ſcribit, proinde non eſt opus, ut exemplis, loco iſti lucem adferam.

A COMMODATO AD PREcarium & contra.

Nam ut qui commodat, non facit rem accipientis, ſed alicui copiã re cõmodata utendi facit. Sic & in precario fit l.i.ff.de preca.Item ut commodatum in rebus

tam mobilibus quàm ſoli exiſtit l.1.ff.commod.Ita etiam precarium l.2.§.fi.l.3.& l. in rebus ff.de preca.Sunt tamen etiam in quibus nonnihil differunt inter ſe, et proinde non ab uno ad aliud colligere ſemper ſatis tuto licet, ſed de hoc diſcrimine in præſentia nos nihil dicemus, ne liber ille in immenſum creſcat.

A LEGATIS AD FIdeicommiſſa.

Hic ita colligere poſſumus, omnis qui legare poteſt, is etiã fideicõmiſſum relinquere poteſt, l.2.ff.de legat. Item quibus legari licet, illis et fideicõmiſſum relinqui poteſt. Itẽ quæ res legari eædem etiam fidei cõmitti poſſunt. Itẽ quibus actionibus legatum, eiſdem & fideicõmiſſum petitur, per l.1.& 2.C.commu.de leg.& fideic.

Illa quæ hic non dicuntur, uel ex Claudio Cantiuncula, uel alijs interpretibus petantur.

A FALCIDIA AD TREbellianam.

Hoc in loco hæc eſt ſimilitudo, ut de legatis ad pias cauſas falcidia nõ detrahitur, l.aut ſimiliter, C. ad l.Fal. Ita nec de uniuerſali fideicõmiſſo ad eaſdem cauſas relato aliquid detrahetur, quũ Falcidia & Trebelliana æquiparentur per l.Marcellus ff.ad ſen.con.Treb. Itẽ in quibus teſtamẽtis ceſſat Falcidia, in eiſdẽ etiã Trebelliana ceſſat. Itẽ ut teſtator Falcidiæ deductionẽ prohibere poteſt, auten.Sed cum teſtator C.ad l.Fal.ita & Trebellianicæ.

A CONTRACTIBVS AD ultimas uoluntates.

In hoc loco ſimilitudo eſt eatenus quatenus rationis

paritas patitur. Vide Iaſonē in l.pactū inter hæredē ff.de pact. Et in l.cunctos populos C.de ſum.tri.& ſi.cath. Exemplū huius eſt in l.illud C.de lega.cum iam conſtitutum eſt fieri poſſe tēporales donationes & contractus, conſequens eſt etiam legata uel fideicommiſſa, quæ ad tempus relata ſunt, ad eandem ſimilitudinem confirmari &c.

A CONTRACTIBVS AD *quaſi contractus.*

Exemplum huius habes in l.ſi pupilli §.ſi quis ff.de nego.geſtis, hoc modo, ſi quis pecuniam uel aliam quandam rem ad me perferendam acceperit, quia meum negocium geßit, negociorum geſtorum mihi actio aduerſus eum cōpetit. Hæc §.porrò ſimilitudo in iſto loco nō procedit in odioſis uel prohibitorijs. uerbi gratia, ſi ſtatutū prohibet ne mulier cōtrahat, non ſequitur quòd ab hæreditatis aditione prohibeatur, ut per aditionem quaſi contrahatur, l. apud Iulianum §.ſi.ff. quibus ex cauſis in poſſeß. Ratio in promptu eſt, quia ſtatuta ſtricte, non in impropria, ſed in propria ſignificatione accipienda ſunt, l. ait prætor §. hæc uerba ff. de nego. geſtis.

A CONTRACTV AD *diſtractum.*

Vt: Quemadmodum matrimonia contrauntur mutuo conſenſu, ita & mutuo diſſenſu diſtrahuntur & diſſoluuntur, per iura uulgaria.

A CONTRACTIBVS AD *delicta.*

Hoc modo: ut Iudex in deciſorijs tenetur ſeruare

conſue

conſuetudinem loci,in quo contractus initus eſt, l.ſi fundus ff.de euict.Sic cõſuetudo ſeu pœna cõſuetudinaria loci delicti attendenda eſt,licet à iure communi, alia pœna aliquod factum adficiatur.Cæterum & à delictis ad Contractus argumentum aliquando ualet , ut quemadmodũ ciuitas ex delicto obligatur,l.metum §. animaduertendum ff.quod met.cau.

A MILITE CIVILIS MIlitiæ ad militem Chriſtianũ ſeu Clericũ.

His modis:ut milites ciuilis militiæ à ſuo duce nomen habent,ita & milites Chriſtiani.Item,ut miles militiæ ciuilis,eatenus æs alienum diſſoluere cogitur, quatenus facere poteſt,Ita & miles Chriſtianus,quatenus facere poteſt ſoluet.uide l.miles cum glo.ff.de re iud.

Item ut militis ciuilis concubina ex ipſius militis teſtamẽto capere poteſt nihil, l.miles §. mulier ff.de mi lit.teſtam.Sic irritum eſt legatum quod clericus concubinæ reliquit per Bar.in d.l.miles.

A LIBERTATE AD piam cauſam.

Vt teſtibus uariantibus in teſtimonijs libertatis pro libertate pronunciandũ eſt,l.lege Iulia.ff.de manumiſſ. Ita quoq; teſtibus in teſtimonijs piæ cauſæ uariantibus, pro pia cauſa pronunciabitur.

AB ALIMENTIS ad piam cauſam.

Non aliter atq; die feſto, iudex ſuper alimentis poteſt cognoſcere l.ij. ff. de ferijs,ita & de pia cauſa poterit.

A DOTE

A DOTE AD PIAM CAVSAM.

Vt dos in ll.multa habet priuilegia,ita et pia cauſa multis priuilegijs ornatur.

A FISCO AD ECCLESIAM.

Vt fiſci priuilegia ſunt plurima,Ita & eccleſiarũ.

A MILITE AD ECCLESIAM.

Vt milites priuilegijs plurimis gaudent , ita et eccle.

A PVPILLO AD REMPVBLICAM.

Vt ſententia contra pupillũ ſeu minorem indefenſum lata,ipſo iure nulla eſt per l.acta § .fi.ff.de re iud.ita ſi lata fuerit ſententia contra remp.indefenſam,nulla eſt l.i.C.de iu.reip.lib.11.Vt minoris debitor à curatione p̄hibetur minoris C.qui tuto.da.poſſ.Sic debitores rerum publicarũ donec ſoluendo ſint,ab honoribus arcentur l. reſcriptio §.debitores ff.de mune.& hono.nõ raro & econtrario à repub.ad pupillum argumentum ducitur.

AB ALIMENTIS AD DOTEM.

Vt alimenta priuilegijs multis ornantur , ita & dos priuilegijs plurimis honeſtatur.

A MINORIBVS AD *furioſos.*

Vt minores bona immobilia ſine iudicis decreto alienare non poſſunt l.magis puto § .non paſſim ff.de reb. mi.ita nec furioſi bona immobilia ſine decreto iudicis alienare poterunt.

A MINORIBVS AD *eccleſiam uel piam cauſam.*

Et ſimilitudo huius loci eſt facilior,quàm ut uerbis oſtendenda ſit. AB EC

AB ECCLESIA AD alia pia loca.

Vt contra eccleſiam paucioribus quàm annis quadraginta non præſcribitur c. de quarta de præſcrip. ita nec contra alia pia loca per §. in temporalibus in autē. de eccle. titu. coll. ix.

A MATRIMONIO carnali ad ſpirituale.

Vt ueluti in matrimonio carnali quum ab utroq; tam ſponſo quàm ſponſa conſenſus eſt datus, matrimonium confirmatum & ratum eſt, ita quum epiſcopus electus & ipſe conſentit & eligentium conſenſus eſt conſtans, refutari non poteſt, in cap. cum inter canonicos de electi. Alia exempla iuuenis ſtudioſus ipſe obſeruabit.

A PERSONA ad tempus.

An ſimilitudo quædam ſit à loco iſto à perſona ad tempus, illi uiderint qui huius exempla neſcio quæ proferre ſolent. Zaſius certe ridiculum eſſe putat à duobus ſeparatis, ut perſona & tempus ſunt, argumentum aliquod uel à iuriſconſultis ueteribus factum eſſe producere uel ullum comminiſci.

A PERSONA ad res & contra.

Hoc modo: ut principis indulgentia, is qui damnatus capite fuerat, iuri ſuo reſtituitur, ita eius quod collapſum erat teſtamentum reparatur l. ſi quis filio exhæredato §. quatenus ff. de iniuſt. rup. & irr. teſt. Sic etiam à re ad perſonam argumentum eſt in l. qui furere ff. de ſtatu hom.

hom. hoc modo, ut qui furere cœpit rei ſuæ dominium retinet, ita & ſtatum & dignitatem in qua fuit, & magiſtratum & poteſtatem retinere uidetur.

A RE AD TEMPVS.

Exemplum *huius loci eſt in l.miles ff.de militari teſta. hoc modo, quod in bonorum petitione ei(intellige militi) licet, hoc etiam in temporis ſpacio(licet nō modicum ſit) ex eodem priuilegio competet.*

A TEMPORE AD LOCVM.

Exemplum *huius loci eſt in l.unum ff. ſi certum pet. hoc modo: Quemadmodum uini debiti æſtimatio incūda eſt propter tempus, ita etiam propter locum.*

A PERSONA
ad locum.

Veluti *qui eximit perſonam quæ in ius uocari non debuit, edicto non tenetur l.1. §. Offilius ff. ne quis eum &c. Sic qui exemerit uocatum alio quàm quo uocari debuerit l.2. §. eadem ff. eo. titu.*

A VERBIS LEGIS AD
uerba teſtatoris.

Hoc *modo:* Vt *uerba legis interpretationem recipiunt, ita quoque teſtatoris uerba interpretationē recipere poſſunt.*

A SERVO AD
Monachum.

Veluti *ſi ſeruus inſtitutus hæreditatem non uult adire, locus eſt ſubſtituto, l. proponas* C. *de hæred. inſtit. ita eſt etiam ſi monachus inſtitutus hæreditatem adire nolit*

H *per*

Digitized by Google

per Bart.in l.1.ff.de uulg.& pupil.ſubſtitu.

A TRANSACTIONE
ad rem iudicatam.

Vt contra tranſactionem nemo poteſt uenire,ita nec contra rem iudicatam l.non minorem C.de tranſact.

A SENTENTIA
ad Teſtamentum.

Quemadmodum libertatis datio, per ſententiā cum cauſæ cognitione latam impeditur, ita per teſtatoris interceßionem l.ſeruus hac lege ff.de manumiß.

A TRIBVTO AD DECIMAM.

Vt res poßeſſa,pro tributo cenſetur obligata l. imperatores ff.de publica.ſic etiam pro decima in cap.paſtoralis,de decim. Vt in ſolutione tributi ſeruanda eſt loci conſuetudo l.litibus C.de agr.& cenſ.lib.11. ita & in decimis exoluendis.

AB VLTIMIS VOLVNTA
tibus ad reſcriptum motu proprio conceſſum.

Exemplum huius loci eſt in cap. autoritate, de conceß. præb.lib. 6. quod niſi bene longum eſſet hic adſcripſiſſem.

A CIVILIBVS AD
criminalia.

Negatiue ſic: Inter quos iudicium ciuile conſiſtere nequit,inter eos nec criminale admittetur, § hi qui Inſt. de obligat. quæ ex delicto naſc. Affirmatiue hoc modo: Idem ordo procedendi ſeruatur in criminalibus, qui in ciuilibus

ciuilibus obſeruari ſolet l. abſentem ff. de pœnis, ſed illa ſimilitudo non eſt perpetua.

AB ACQVISITIONE *ad retentionem.*

Vt ſi per aſpectum aliquando poſſeßio acquiritur, etiam eodem modo retineri poterit per dictā l.1.§.ſi iuſſerim ff.de acquiren.poſſeß.

A DOMINIO AD POSSESSIONEM.

Exemplum huius eſt in l.1. §.per cōmunem ff.de acquiren.poſſeß.hoc modo. Sicuti in re cōmuni non aliter atq; propria etiam inſolidum ſinguli dominium acquirimus, ita & per communem ſeruum ſicut per proprium acquirimus poſſeßionem etiam ſinguli in ſolidum.

Hactenus recenſuimus, & quidem paucis, locos qui ad locum à ſimili referuntur, in quibus ſi aliquando non per omnia ſimilitudo apparuerit, cogitandum eſt, illam ſimilium naturam eſſe, ut nunquàm adeo eadē ſint, quin alicubi etiam diſsimilia exiſtant,ut eſt in l. Quod Nerua ff.depoſit.nunc ſequitur locus

A DIFFERENTIBVS.

A differentia & affirmatiue & negatiue colligimus. affirmatiue,eſt ſentētia iuſta ultimæ uoluntatis cum hæredis inſtitutione, ergo Teſtamentum eſt, l.1. ff.de teſta. Eſt ius ſuccedendi in defuncti ius, ergo eſt hæreditas, l. hæreditas ff.de uerbo.ſignifi.negatiue ſic,Imperator in l. auia § nec enim C. de iure dot.colligit non eadem cauſa eſt patris & matris paciſcentium, quippe matris pactum actionem præſcriptis uerbis conſtituit, patris

pactum, dotis actionem profectitiæ nomine competẽtem &c. Item à *differentia colligimus hoc modo negatiue: ille non habet poteſtatem gladij, ergo non habet merum imperium, l. imperium ff. de iuriſdict.*

Maxima huius loci eſt, Differentia cum ſua ſpecie cõuertitur.

A CONTRARIIS.

Contraria ſunt, contrariæ qualitates quæ in eodem non poſſunt ſimul exiſtere, l. ſi per errorem ff. de iuriſdi. omnium iudicum, ut Sempronius hunc fundum bona fide poßidet, ergo mala fide poßidere non poteſt. Item Ti*tius errauit conſentiendo in præſidem, ergo non conſenſit.* Contrarium *enim conſenſui error eſt l. d. ſi per errorem ff. de iuriſdict.* Item, *ille eſt ſui iuris, ergo alieni iuris eſſe non poteſt.*

Item, *ego hanc rem in ſolidum poßideo, ergo tu in ſolidum poßidere nequis l. 3. § . ex contrario ff. de acquiren. poſſeßi.*

Item *Sempronius liber eſt, ergo quinam ſeruus eſſe poterit?*

AB ADIVNCTIS.

Adiuncta, autore Boëtio, *dicuntur quæ ita ſe habent, ut ſi unum eorum quolibet extiterit modo, alterum quoq; uel extitiſſe uel extare, uel extiturum eſſe uideatur: hunc locum* Cicero *in* Topicis *ad ius ciuile non pertinere ſcribit.* Locum *ab adiunctis uidentur iſta præſe ferre quũ ita colligimus: ſi prædij minoris alienatio ſine decreto facta, rata eſt, ergo & eccleſiarum, ergo & ciui*

tatis

tatis alienatio ſine ſolennitate facta, rata erit. Nam pari priuilegio gaudent, minor et eccleſia l. fi. C. de ſacroſan. eccle. l. reſpubli. C. quibus ex cau. maio. Huius farinæ eſt & illud, ſi impuberes teſtamentum facere poßunt, ergo & furioſi, ergo & prodigi, nam pro eiſdem in ll. habentur impuberes, furioſi, prodigi.

Item ſi frater querela de inofficioſo teſtamento experiri poteſt, ergo & ſoror §.1. Inſti. de inoffi. teſta.

Item ſi pupillus non alteri obligari ſine tutoris autoritate poteſt §.1. Inſti. de auto. tuto. ergo nec monachus ſine autoritate ſui abbatis obligari poterit.

AB ANTECEDENTIBVS.

Antecedentia uocantur, cum natura aliquid procedit, tametſi non ſit ſemper cauſa eius, quod ſequitur. ut poſſedit quiete, inter præſentes fundum totos decem annos, ergo fundum uſucepit ſeu præſcripſit §.1. Inſtit. de uſuca. Titius accepit mutuo pecuniam, nec creditor per acceptilationem pecuniã Titio remiſit, Ergo Titius creditori obligatus eſt. Impuberis nullum eſt animi iudiciũ, ergo teſtamentum facere non poteſt §. prætere a Inſtit. Quibus non eſt permiſſum &c. Titius præter meritum in teſtamento patris præteritus eſt, ergo querela de inofficioſo teſtamento experitur §.1. Inſt. de inoffi. teſta.

A CONSEQVENTIBVS.

Conſequentia uocamus ea, quæ ex antecedentibus cõſequuntur: ut bonæ fidei poſſeſſor eſt, ergo rem bona fide emit. Obligatus eſt Sempronio Titius, ergo Titius cum Sempronio cõtraxit. In integrũ reſtituitur, Ergo minor

eſt in re aliqua læſus. Vide Titulum *pandectarum de in integ.reſtitu.* Item Titu.C.*de in integ.reſti.*

A REPVGNANTIBVS.

Rodulphus Agricola *repugnantiam eſſe ſcribit rerum per ſe diſsidentem habitudinem, qua fit ut alterum dici id eſſe quod alterum, non poſsit.* Ego *repugnãtia ab oppoſitis non ſeparo.* A *repugnantibus ita argumentari poſſumus, uſus tibi legatus eſt, ergo non abuſus. contractum te mecum iniuiſſe probare poſſum, ergo quinam diſtractum eſſe factum dicere audes?* Ab hoc loco colligit *l.qui hominem* §*. fi. & ibi docto.ff.de ſoluti.hoc modo: Solutio debiti liberationem parit, ergo repetitionem nõ poteſt parĕre. locum à repugnantibus ducere poſſumus ex l.cum is* §*. fin. ff. de condict.indebi. hoc modo:Sempronius hominem in genere promiſit, ergo ad certam ſpeciem obligari qui poteſt?*

A CORRELATIVIS.

Correlatiua dicuntur, quæ ſe mutuo referunt, huius loci iuriſconſulti tales maximas producunt, quod ſtatuitur in uno correlatiuo & in altero ſtatutũ intelligitur l.ſi cum dies §*.penul.ff.de recep.arb.* V*bi ſic colligit* Pa*pinianus.* Q*uod in uno litigatorum ratum eſt, in altero quoque ratum eſſe debet.* V*no correlatiuo deſtructo & alterum deſtructum intelligitur per l.fi.ff.de accepti.*

A CORRELATIVIS *ita colligimus.*

Lex *noua legem* Iulian V*iſcellam de uxore loquentẽ corrigens, etiam in marito correxiſſe putabitur.*

Item *quod lex in actore corrigit, in reo quoq; egiſſe creditur*

crcditur per gloſſ.l.per interuallum ff.de iudi.

Item pœna impoſita uendẽti & emptorẽ diſtringet. Porrò quæ paulo ante diximus,de correlatiuis ꝓcedunt, ſi eadem ſubſit ratio, alioqui aliud ſtatuitur:ut non conſequitur.Lex prohibet marito ne ultra quartam bonorũ leget,ergo maritus uxori quantumcunq; uelit relinquere non poteſt. Item non conſequi uidetur,lex ſororem à fratris hæreditate excludit,ergo fratrem etiam à ſororis hæreditate excluſiſſe uidetur.

A CAVSA.

Cauſa eſt qua poſita ſequitur effectus. Cauſæ ſunt quatuor:Efficiens,Materia,Forma,Finis.

DE CAVSA EFFICIENTE.

Cauſa efficiens eſt aut res aut perſona aliquid efficiens.res, ut cõtractus eſt cauſa obligationis. obligatio eſt cauſa actionis.perſona ſic,locator & conductor ſunt cauſa locationis & conductionis. In cauſis efficientibus eſt differentia,nam aliquæ ſunt cauſæ principales,ut cõſenſus eſt principalis cauſa matrimonij, iuxta regulam, nuptias conſenſus non cõcubitus facit cap.nuptias,de regu.iur. conuentio de precio eſt cauſa emptionis & uenditionis §.1.Inſt.de empt.& uendi.Sunt & cauſæ inſtrumentales, ſic precium eſt cauſa emptionis & uenditionis.Scriba publicus,quem notarium appellamus, eſt cauſa teſtamenti in ſcriptum redacti.

Maximæ huius loci ſunt, cauſa ſufficiente poſita neceſſe eſt effectus poni.

Item effectu poſito neceſſe eſt cauſas adeſſe aut adfuiſſe.

A cauſa efficiente ſic colligimus:Contractus eſt,ergo obligatio eſt:obligatio eſt,ergo actio eſt: ſeruitus eſt,ergo manumiſſio eſt.ita colligit Iuſtinianus in § .1.Inſtitu. de liber. Item: uxor uirum adulterum eſſe probauit, ergo merito ſeparationem petere poteſt, l. conſenſu C. de repud.

DE MATERIA.

Materia eſt de qua aliquid fit.maxima eſt,non poſita materia nec effectus ponitur & econtrario, à materia ſic colligunt iuriſconſulti. Species iſta eſt facta ex materia aliena quæ in priſtinam formam redigi poteſt,ergo domino materiæ cedet.Hæc ſpecies facta ex materia aliena in priſtinam formam reduci non poteſt, ergo ei à quo eſt facta cedet, §. cum ex aliena Inſtitu. de rerum diuiſi. Item publicus tabellio non habuit membranam aut papirum in quam teſtamentum ſcriberet, Igitur qui nam ſcribere potuit? Item illæ res non poſſunt regulariter tradi & uſucapi,ergo ſunt incorporales,l.ſeruus §.incorporales ff. de acquirend. rerum domi. Iſtæ res natura tangi poſſunt,ergo ſunt corporales, §.unico Inſtit.de rebus corpo.& incorpo.

DE FORMA.

Forma eſt quæ dat eſſe rei. ab hac ſic colligere poſſumus: iuuenis ad puellam dixit, ego te accipio in meam, & puella reſpondit,ego te accipio in meum, ergo utrobiq; matrimonij incundi eſt facta mentio.Nam forma matrimonij ſunt uerba,quibus Mutuus conſenſus exprimitur cap. Si inter.de ſponſa. & matrimo. Item iudex ſedens ſententiã ex ſcripto recitauit, ergo recte ſentẽtiam

recita

recitauit:ſubijcitur dominio alieno,ergo eſt ſeruus, §. ſeruitus Inſt.de iure perſo.

A CAVSA FINALI.

Ab hac colligit imperator in §.ius autem inſti.de iure natura.uſus et humanæ neceßitates,iura gentiũ cõſtituerũt,ergo iura gentiũ ſancta eſſe debẽt,uſu capio inuẽta eſt ne rerũ dominia eſſent in incerto,ergo uſucapio probanda eſt,§.primo inſtit.de uſucap.Ius tutelæ datũ et permißũ eſt à iure ciuili,ut ij,qui ſe propter ætatem non poßunt defendere defendantur,ergo ius tutelæ ualde eſt utile,§.eſt autem Inſti.de tute.

AB EFFECTIBVS.

Locus ab effectibus ſatis clarus eſt ex locis cauſarũ, proinde de illo aliquid dicere ſuperſedebimus.

A COMPARATIONE.

Comparatio eſt rerum inter ſe collatio. & ſumitur aut à comparatione maiorum,aut minorũ,aut parium. Ex comparatione maiorum negatiue colligimus, iuxta illam maximam,ſi id quod magis ineſſe uidetur nõ ineſt, neq; illud inerit,quod minus ineſſe uidetur per gloſſ.l.2. C.in quibus cau.in integ.

SIC COLLIGIMVS.

Si mors naturalis non poteſt omnes actiones tollere,quin pleræq; à teſtatore ad hæredem tranſeant, ergo nec mors ciuilis omnes actiones tollere poteſt.

Item ſi iura ciuilia militibus extra caſtra degẽtibus non permittunt,ut ſine omni ſolennitate teſtamenta condant,ergo nec alijs hominibus,ut omiſſa omni ſolennitate teſtamenta condant, permittent,§.ſed hactenus Inſti.

de milita.teſtam.

A MINORI.

A *minori affirmatiue etiam argumentamur iuxta illam maximã. Si id ineſt quod minus ineſſe uidetur, quanto magis inerit illud quod magis ineſſe uidebatur.*

Vt ſi furtum ultimo ſupplicio adficitur, certe etiam adulterium ultimo ſupplicio adficiendum eſt.

Item ſi libertus patronis reuerentiam debet, ergo etiam filius parentibus reuerentiam debebit.

Item ſi mulier quia maritum adulterum eſſe comperit, ſeparationem petere poteſt, ergo etiam ubi maritũ uitæ ſuæ inſidiantem comperit, ſeparationem petere poterit l.conſenſu C.de repud.

A PARI.

Maximaeſt, parium idem eſt iudicium, ut ſi pater poteſt moderate obiurgare & caſtigare filium, ergo etiam præceptor moderate diſcipulos caſtigare poterit. Nã leuis caſtigatio conceſſa eſt docenti l.ſed & ſi in fine ff. ad l.Aquiliam. Item ſi impubes non poteſt teſtamentum facere, quòd nullum eius animi iudicium ſit, ergo nec furioſus, qui quoq; mente caret, teſtamentum facere poterit, §.præterea Inſt.quib.non eſt permiſſ.Teſt.fac.

A SCRIPTO CONtra ſententiam.

Huius loci tractationem rectiſſime Cicero in dialogo de oratorijs partitionibus oſtendit, proinde eius uerba hic ſubijciam.

Quum autem aliud ſcriptor ſenſiſſe uidetur & aliud ſcripſiſſe, qui ſcripto nitetur, cum re expoſita, recitatione

tiõe uti oportebit, deinde inſtare aduerſario, iterare, renouare, interrogare, num aut ſcriptor neget, aut contra factum inficietur? Poſt iudicem ad uim ſcripti uocet, hac confirmatione uſus, amplificet rem lege laudanda, audaciamq́; confutet eius, qui quum palã contra fecerit, idq́; fateatur, adſit tamen factumq́; defendat, deinde infirmet defenſionem, quum aduerſarius aliud uoluiſſe, aliud ſcripſiſſe ſcriptorem dicat, non eſſe ferendum à quoquam latoris ſenſum quàm à lege explicari, quur ita ſcripſerit, ſi nõ ita ſenſerit? quur quum ea, quæ plane ſcripta ſunt, neglexerit, quæ nunquã ſcripta ſunt proferat? quur prudentiſſimos in ſcribẽdo uiros ſummæ ſtultitiæ putat eſſe damnandos? quid impedierit ſcriptorem, quo minus exciperet illud, quod aduerſarius tanquam exceptum eſſet, ita dicit ſe ſequutum. utetur exemplis ijs quibus idẽ ſcriptor, aut ſi id non poterit, quibus alij, quod excipiendum putarint exceperint. Hæc Cicero, è quibus tractatio huius loci facile inclareſcere poteſt. Exemplum addidiſſem, niſi id paucis uerbis fieri non potuiſſet, exemplum huius loci eſt ſæpe uidere in actionibus cauſarum, dum hic ſcripto contra ſententiam nititur, ille ſententiæ contra ſcriptum inſiſtit.

A SENTENTIA CONtra ſcriptum.

Rationẽ huius loci etiã indicat Cicero in partitionibus oratorijs, his uerbis. Ille autẽ qui ſe, ſententia legis uoluntateq́; defendet, in cõſilio atq; in mẽte ſcriptoris nõ in uerbis ac literis uim legis poſitam eſſe defendet, quodq́; nihil exceperit in lege laudabit, ne diuerticula

pactis

pactis daretur, atq; ut ex facto cuiuſq; Iudex legis mentem interpretaretur, deinde erit utendum exemplis, in quib. omnis æquitas perturbetur ſi uerbis legum ac non ſententijs pareatur, deinde genus eiuſmodi calliditatis et calumniæ retrahatur in odium iudicis, cum quadam inuidioſa querela. Hæc ille. *exemplum huius loci habes elegantiſſimum in oratione* Ciceronis *pro* A. Cecinna.

Exemplũ *locorum duorum quos iam explicauimus, eſt in l. cum auus ff. de conditi. & demonſtra.* Auus *ſubſtituens extraneum filijs intelligitur in caſum quo filij decederent ſine liberis, quod nullo iure ante* Papinia*num cauebatur. Subſtitutus ſcripto nitebatur, liberi uerò ſola uoluntate, quòd incredibile eſſet patrem liberos extraneo poſtpoſuiſſe, & nitebantur loco ab autoritate: quòd* Aemilius Papinianus *ſic reſpondit.*

A VERISIMILI SEU *probabili.*

Veriſimile *eſt, autore* Cicerone, *quod ferè fieri ſolet, aut quod in opinione eſt, aut quod habet in ſe quandã ſimilitudinem.* Hæc ille. Porrò *argumẽta à ueriſimili ſeu probabili ab autoritate robur accipiunt. à ueriſimili eſt locus in l. ſeptimo menſe ff. de ſtatu. hom.* Nam *cum controuerſia eſſet, an is qui è iuſtis nuptijs ſeptimo menſe natus eſſet, iuſtus filius exiſteret,* Reſpondit Paulus *ex autoritate doctiſſimi uiri* Hippocratis *ſeptimo menſe naſci perfectum partum, iam receptum eſſe, proinde credendum, eum qui ex iuſtis nuptijs ſeptimo menſe naſceretur, iuſtum filium eſſe.*

Exem

Exemplum à uerisimili ſeu probabili eſt in l. Antiqui ff. ſi pars hæred. peta. ubi cum conſultaretur quotnam liberos una fœmina ſimul parĕre poſſet, tandem ex autoritate prudentiſſimorum iuris autorum reſponſum eſt, tergeminos naſci poſſe &c.

Exemplum huius loci eſt in l. d. auus ff. de demonſtrat. ubi liberi ſola uoluntate uerisimili nituntur, quòd non credibile uideretur patrem liberos extraneo poſtpoſuiſſe, cæterum iuriſconſulti uerisimile deriuant à more, ab opinione, à natura, à qualitate rei uel perſonæ, à tempore, à loco, à ſignis, à circumſtantijs.

A MORE SEV CONſuetudine.

A conſuetudine ſeu more uarijs modis colligimus. conſuetudo eſt optima legum interpres l. ſi de interpretatione ff. de leg. hæc lex eſt ſecundum conſuetudinem, interpretata & obſeruata, ergo probabile eſt legem recte & interpretatam & obſeruatam exiſtere. Sic in inueſtiganda uoluntate teſtatoris, moris & conſuetudinis regionis, ubi teſtator degit, reſpectũ habemus l. cũ de lanionis § . aſinam molendinariam ff. de fund. inſtruct.

In contractibus quoq; mos & conſuetudo loci ubi contractus fit, ſpectari ſolet, l. ſemper in ſtipulationibus ff. de reg. iu.

AB OPINIONE.

Exempli gratia: ſi obſcure inter aliquos matrimoniũ contractũ eſt, communẽ opinionẽ in uerbis, quibus matrimonium initur, interpretandis ſequimur per c. in literis. de ſponſa.

Sic flumen

Sic flumen à riuo diſſeparatur, opinione illorum qui accolunt l.1.§.1.ff.de flu.

Ad hunc locum refer omnia quæ de communi loquendi ratiõe paſſim dicuntur, imprimis per Bartho.in l.Labeo ff. de ſuppellect.lega.& Alciatũ in lib.ij.de uerborum ſignificatione. Vt mea fert ſententia, ad hunc locum etiam referri poſſunt ea quæ in ll.ab opinione et ſententia clariſſimorum uirorum dicuntur. nam ex illis quoq; ſæpe coniecturam capimus & ueriſimiliter colligimus. uerbi gratia, ſi dubium exiſtat an ad ea quæ uno aliquo caſu accidunt, iura accõmodanda ſint? Reſponderi poteſt, ex ſentẽtia Theophraſti, ad ea iuris conditores non reſpexiſſe. ſic uerò dixit Theophraſtus τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσι οἱ νομοθέται, per legem ſextam ff. de leg.

A NATVRA.

Per naturam intellige, uel ingenitam quandam & hominibus & alijs animantibus uim, uel rationem naturalem quæ tacita eſt lex per l.cũ ratio ff.de bo. damna. A natura ſic colligimus. natura omnia animantia & liberos procreant, & procreatos educant l.1.§.ius naturale ff.de Iuſti.& iu. Ergo cui incredibile eſſe poteſt, & homines naturæ impulſu & liberorum procreandorum & educandorum ſtudio teneri.

Item natura hoc dictat, neminem cum alterius detrimento fieri debere locupletiorem l.natura hoc ff.de conditi.indeb. Ergo non uerisimile eſt, Sempronium contra iſtam naturæ legem, cum detrimento Titij locupletari concupiuiſſe.

Natura

Natura dictat ut parentibus & patriæ pareamus l.ueluti ff.de Iuſti.& iu.igitur non uериſimile eſt Titium adeo ab inſito á natura erga parentes & patriam adfectu alienum,& parentibus & patriæ parēre noluiſſe.

A QVALITATE REI uel perſonæ.

A qualitate rei hoc modo: Titius in Sempronium gladium ſtrinxit,& eo illum percuſſit,ergo Sempronium occidere uoluit,in l.1.§.diuus Adrianus ff.ad l.Cornel.de ſica.

Item,Sempronius Berthæ pudicitiam ſermone blando attentauit,Ergo eam ſtuprare uoluit per l.Item apud Labeonem §.appellare & §.aliud eſt ff.de iniurijs. De hoc argumenti genere loquitur l.aut facta §. qualitate ff.de pœnis. Porrò perſonæ qualitas dupliciter ſpectatur, eius qui facit,& eius qui paſſus eſt.aliter enim puniuntur ex iiſdem facinoribus ſerui quàm liberi,& aliter qui quicquam in dominum parentemq; auſus eſt quàm qui in extraneum,in magiſtratum uel in priuatum. In huius rei conſideratione ætatis quoq; ratio habetur. hæc ex l. aut facta §.perſona ff.de pœnis.

A TEMPORE.

Hoc modo:noctu factum eſt homicidium, ergo ueriſimile eſt Titium, qui noctu libēter inerrat,homicidij autorem eſſe.

Item die feriato iudicatum eſt,ergo id ex uoluntate partium factum eſt l.quid ſi ff.de ferijs.pridie Kalendas Ianuarias Magiſtratus adfuit,ergo nec ius dicere, nec ſui

nec ſui poteſtatem facere conſueuit, in l. pridie ff. de ſe. Sic ex præteritis ſæpe futura colliguntur, ut in ca. mandata, de proba.

A LOCO.

A loco colligit Imperator in l. cum in te C. de dona. ante nup. in ambiguo donatio facta in uxoris domo, facta ſponſæ præſumitur & eſt firma. Quòd ſi in domo, uiri donatio eſt facta uxori, infirma eſt.

A SIGNIS.

Quatenus ex ſignis ſeu indicijs colligere liceat, uide Bartholum in l. ij. ff. de fur. & Iaſo. in l. ſi extraneus ff. de condict. cauſa data &c. Huc refer præſumptiones, quarum aliæ ſunt iuris, canonis & legis, aliæ hominis, aliæ naturæ, aliæ facti.

Præſumptio iuris canonis & legis non recipit probationem in contrarium: ut lex præſumit mulierem dotem ſtipulatam, ſibi reddi uelle quamuis non ſit ſtipulata l. 1. §. 1. C. de rei uxor. act.

Præſumptio hominis eſt, quum de aliquo mala ſuſpitio concipitur, uel quia malam uitam degit, uel quia fama ſiniſtra de illo ſpargitur. contra hanc præſumptionem probatio contraria admittitur l. nõ eſt ueriſimile ff. quod met. cauſa. Præſumptio naturæ eſt, ut quum pater filium exhæredat, ſtatim præſumitur, quòd iniuſte filium pater exhæredat, & hoc propter naturam, quæ liberos à parentibus iniuſte exhæredari præſumit. præſumptio facti, & hoc uel præteriti ad futura. ut ſi ſemel me calũnijs impetiuiſti & iterũ in me actionem intendere paras, præſumptio oritur, te iterũ calũniari conſtituiſſe l. ſi cui

§. ijſdem

Digitized by Google

§.iiſdem ff.de accuſa. Vel facti conſequentis ad præterita, ut in l.ſi ij C.ad l.Iuliam de adul.

Adijcitur his præſumptionibus, præſumptio iuris tantum. ut ſi diu mulier cum uiro unis in ædibus fuit, ab eo cognita eſſe præſumitur, contra hanc præſumptionem probatio recipitur.

AB EXTREMIS.

Ab illis ita ratiocinamur, probatis extremis, etiam id quod medium eſt probatum præſumitur. ut ſi probaro, mihi factam traditionem & initium poſſeſſions, & quod in fine decennij poßideam, continua poſſeßio probata eſt, per Barth.in l.Pomponius §.fi.ff.de acqui.poß.

Locis i..m dictis adijciemus argumentum à contrario ſenſu, quod autore Alciato in libro ſecũdo de uerborum ſignificatione, quatuor argumentorum genera complectitur. primum, eſt argumentum à ſpeciali, ut ſi lex aliquid ſpecialiter induci dicat, conſequens eſt, ut ius commune in contrarium ſit. uerbi gratia, quia lex Iulia damnatam adulterij dicere teſtimonium uetat, conſequitur regulariter mulieri teſtimonij dictionem exiſtere.

Secundum eſt, quod ab incluſione unius dicitur, lex enim unum includens alterum à contrario ſenſu excludere uidetur, & econtrario.

Tertiũ, quod ab exceptione dicitur. uulgo enim aiũt, ab exceptione regulã confirmari l. nam quod §. fi. ff. de pen.leg. nam quod in exceptione comprehenſum nõ eſt, ſequitur ſub regula contineri. Quartum quod per emphaſim quandam à contrario ſenſu dicitur. ſoletq; ex

 diſpoſitione

diſpoſitione generali accipi, quæ certa ratione aliquid induc it, ut ea deficiente, mens quoq; legis deficiat. & tale argumentum à coniectura uires ſumit, non autem directo ex uerborum ui accipitur, fortiſſimum autem ſemper eſt, quòd non ſimpliciter à contrario ſenſu literæ fit, ſed etiam rationis ſeu mentis ipſius legis. Hæc ex Alciato adſcribere uoluimus, ut naturam argumenti à cõtrario ſenſu exactè explicaremus. cæterum ne aliquid argumentorum omittamus, in fine pauca de argumentis Hypotheticis adiungemus.

DE HYPOTHETICIS argumentis.

Ex conditionali Hypothetica ſumitur argumenti genus tale.

Si contractus eſt, obligatio eſt,
Sed contractus eſt, Ergo obligatio eſt,
Item, Si obligatio eſt, Actio eſt,
Sed obligatio eſt, Ergo actio eſt.
Item, Si iuſtitia eſt, Ius eſt, Sed iuſtitia eſt, Ergo ius eſt per l.1.ff.de iuſti.& iure.

Conſequentia per hanc maximam confirmatur, à poſitione antecedentis ad poſitionem cõſequentis ualet conſequentia. Præterea à deſtructione cõſequentis ad deſtructionem antecedentis ualet conſequentia, ut:

Si conſenſus eſt iuuenis & puellæ, matrimonium eſt per l.nuptias ff de reg.iur.
Sed conſenſus non eſt,
Ergo nec matrimonium eſt.

Si dos

Si dos conſtante matrimonio augetur, & donatio propter nuptias augeri debet,

Sed dos conſtante matrimonio non augetur,

Ergo nec donatio propter nuptias augeri debet, §. eſt & aliud in fi. Inſtit. de dona.

Ex copulatiua Hypothetica tale argumentum ſumitur.

Et ſeruitus eſt, Et manumißio eſt, ſed ſeruitus eſt, igitur manumißio eſt, per §. 1. Inſti. de libertinis.

Et locatio eſt & conductio eſt,

Sed locatio eſt, ergo & conductio eſt.

In hoc argumenti genere neceſſe eſt, ut utraq; pars ſit uero conſentanea.

Ex Diſiunctiua Hypothetica hoc argumenti genus promitur.

Aut actio directa eſt aut utilis,

Sed actio directa eſt, igitur non utilis.

Item, Aut teſtamentum eſt, aut Codicillus eſt,

Sed teſtamentum eſt, Igitur non codicillus.

Aut neceſſarius eſt hæres, aut ſuus & neceſſarius,

Sed neceſſarius eſt hæres, ergo non ſuus & neceſſarius §. 1. & §. 2. Inſti. de hære. quali. & differen.

In hoc argumenti genere poſito altero, neceſſe eſt tolli alterum.

Item ſublato altero poni alterum per l. Hæc uerba ff. de uerborum ſignificatione.

LIBER V.

DIALECTICAE LEGALIS.

NON RARO & *inter agendas cauſas & in diſputationibus publicis fallaciæ quædam argumentorum, & uitioſæ rationationes proferuntur, quas ut iuuenis diſſoluere diſcat, hoc in libro quinto, pauca de fallacijs, ſeu, ut* Vlpianus *in lege natura ff. de uerbo. ſignifi. inquit, cauillationibus dicam.* Vlpianus *in l. iam dicta, naturam cauillationis eſſe dicit, ut ab euidenter ueris per breuiſſimas mutationes, ad ea quæ euidenter falſa ſunt producatur.* Id quod, *autore* Ariſtotele, *in elenchis trifariam fit,* Nam.

Aut argumentum in materia peccat, aut in forma, aut utroq;.

In materia, ut, quæ in nullius bonis ſunt, occupanti conceduntur.

Res *ſacræ nullius in bonis ſunt,* Ergo *occupãti cõceduntur.* Exemplũ *hoc adfert* Accurſius *in dicta l. natura & l. ea eſt ff. de regu. iur. & eſt ſyllogiſmus ſophiſticus, nam amphibologia eſt in uoce nullius, quæ ĩ maiore propoſitione, ad hominem refertur, in minore ad hominem pariter et deum. res enim diuinæ nullius ſcilicet hominis in bonis ſunt, in bonis tamen dei ſunt.* Tum *concluſio eſt falſa, nam interdicta extant cõtra occupantes res ſacras.* Aliquando *calumnia fit in forma ſyllogiſmi, ut:*

Omnis

Omnis ſeruus in poteſtate eſt,
Filius familiâs eſt in poteſtate,
Ergo filius familiâs ſeruus eſt.

Hic in forma peccatur, nam nullus eſt hic terminus medius, qui pro eo atque decet in duabus propoſitionibus poneretur, ut tandem concluſio uera effici poſſet.

Aliquando cauillatio fit quum Syllogiſmus tam in materia quàm forma peccat, ut:

Quilibet ſeruus pro mortuo habetur,
Nemo alieni iuris non eſt qui ſeruus non ſit,
Qui igitur alieni iuris non eſt pro mortuo habetur.

Hic ſyllogiſmus in materia peccat, nam ſeruus in maiore propoſitione accipitur pro ſeruo aut nato, aut iure ciuili, aut iure gentium facto, §. ſerui Inſtitu. de iure perſona. in minori uerò accipitur ſeruus pro illo, qui quoquo modo alterius dominio ſubeſt, etiam ſi ſeruus nõ ſit. In forma uerò pecat, nam concluſio eſt planè ineptè illata. committitur & fallacia

EX FALSA FINITIONE.

Vt *Iniuria eſt quando quis pugno pulſatur, aut fuſtibus cæditur, uel etiam uerberatur,*
Titius conuitio tantum adfectus, nec pugno pulſatus nec fuſtibus cæſus nec uerberatus eſt,
Ergo Titius nulla iniuria adfectus eſt.

Eſt falſa finitio iniuriæ, nam iniuria committitur nõ ſolũ cum quis pugno pulſatus, aut fuſtibus cæſus, uel etiã uerberatus erit, ſed & ſi cui conuitiũ factum & alijs rebus læſus fuerit, §. iniuria Inſti. de iniu.

EX PARTITIONE VITIOSA.

Omnis ſtipulatio, aut iudicialis eſt, aut prætoria,

Locatio & conductio, nec iudicialis, nec prætoria eſt ſtipulatio,

Ergo locatio & conductio merito reijcitur.

Non eſt ſufficiens enumeratio, ut eſt uidere in § ſtipulationum Inſti. de diuiſione ſtipu.

EX RATIONE INFIRMA & uana.

Infirma ratio eſt, autore Cicerone, quæ nõ neceſſario oſtendit ita eſſe quemadmodum expoſitum eſt. ut contractus emptionis & uenditionis inter Sempronium & Titium initus non ualet, nam arra non eſt data, hæc ratio plane infirma eſt, nam arra nõ confirmat emptionem & uenditionem, ſed tantum arguit & oſtẽdit § .1. Inſti. de empt. & uendi. Vana ratio eſt, quæ ex falſa cauſa conſtat, ut tutores teſtamento dati ſatiſdare non coguntur, quia teſtator obijt. falſa eſt ratio, nam non ideo tutores teſtamentarij, ſatiſdare nõ coguntur, quia teſtator obijt, ſed quia fides eorũ & diligentia ab ipſo teſtatore probata eſt § .1. Inſt. de ſatiſda. tuto. uel cura.

Sed ut ad Ariſtotelem tandem redeam, qui fallacias duplices eſſe ſcribit, quaſdam in dictione, quæ in dictione ſimplici aliqua conſiſtunt. quaſdam eſſe extra dictionem, quum in propoſitionibus connectendis peccatur.

FALLACIAE DICTIONIS.

Aequiuocatio.

Aequiuocatio eſt quum dictio ſeu uox ſimplex plura ſignificat, ut:

Fructus

Fructus rei eſt pignori dare licere l.fin.ff.de uſu.

Sed omnis fructus rei ad fructuarium pertinet,l. ſeptima ff.de uſucap.

Ergo licere dare pignori ad fructuarium pertinet, quod eſt falſum per l. intereſt C.de uſufr.

Exemplum eſt Accurſianum in l. ea eſt ff.de reg.iur. Eſt æquiuocatio in uoce fructus,nam in maiore propoſitione pro utilitate quadam ponitur, in minore uerò pro commodo ex ipſa re prouenienti.

Calumniator lege Rhemia punitur,
Dialecticus utens fallacijs eſt calumniator,
Ergo Dialecticus utens fallacijs eſt lege Rhemia puniendus.

Aequiuocatio eſt in uoce calumniator, qui aliquãdo ſignificat eum, qui in iudicio falſa crimina alicui intendit,& is,niſi quod intẽdit,probat,lege Rhemia punitur l.1.§.calumniator ff.ad ſenatuſconſul.Turpil.& ſic in maiori propoſitione accipitur.Deinde calũniator eſt & ille qui fallacijs & cauillationibus argumentorum alijs moleſtus eſt,& ita in minori propoſitione accipitur.Venio ad aliam ſpeciem fallaciæ in dictione,quæ eſt

AMPHIBOLOGIA.

Quæ eſt oratio ambigua,ut cum dico,patrem filium relegare eſt impium.in hac oratione incertum eſt, an pater filium relegarit,an filius patrem,quæ amphibologia ſic tollitur,quòd filius patrem relegat,eſt impium.

A COMPOSITO ET DIVISO.

Et fit hæc fallacia, quando aut perturbata conſtructione

aut mutila lege ludificamur: ut quemcunq; poßibile eſt ambulare, fieri poteſt ut ambulet, Atqui ſedentē poßibile eſt ambulare, ergo fieri poteſt, ut ſedens ambulet. Item quicunq; ſcit iura nunc didicit illa, Sempronius Rhetoricæ peritus ſcit iura, Igitur Sēpronius Rhetoricæ peritus nunc didicit illa. hæc exempla ſunt compoſitionis.

Exēpla uerò diuiſionis ſunt, ut quocunq; uidiſti hunc percuſſum, hic percuſſus eſt, atqui oculo uidiſti hūc percuſſum, oculo igitur hic eſt percuſſus. Huc refer etiam mutilas leges, quibus & pleroſq; ī foro uti, et nō paucos etiā interpretes ueteres, in cōmentarijs ſuis uſos eſſe, cōperimus. nam an non aliquando multi dum agunt cauſas decerptis duobus uerbis ex lege, aut lege truncata, cauſæ ſuæ patrocinium quærunt? & aduerſarium urgent? An non etiā ſæpe interpretes, non habita totius legis ratione, unum, aut alterum uerbum ad rem quandam probandam uel improbandam conferunt ἢ οὔτε γῆς οὔτε οὐρανοῦ ἅπτοντες. *Quibus in rebus exemplis uti poſſem, niſi & in interpretibus ueteribus plura eſſent, quàm uellemus, & niſi uererer ne liber in immenſum excreſceret. Id quod ideo monui, tum ut iuuenes, extimulem, ne, niſi tota lege aliqua perſpecta uel iudicare uel reſpondere conſueſcant, per l. inciuile eſt ff. de leg. Tum ut cum iudicio ueteres intepretes legant.*

FIGVRA DICTIONIS ACCENTVS.

Qui ad aram confugit eſt liber,
Titius ad haram confugit,
Ergo Titius eſt liber.

Hic

Hic uides in accentu eſſe fallaciam, nam cum ara attenuatur altare ſignificat, cum aſpiratur ſtabulũ in quo aluntur porci, denotat.

FALLATIAE EXTRA Dictionem.

Fallaciæ extra dictionem dicuntur quæ in connexionibus propoſitionum committuntur, & ſunt:

FALLACIA ACCIDENTIS.

Et eſt, autore Ariſtotele, quando idem aßignatur ſubiecto ſiue eſſentiæ et accidẽti, nã quia multa eidẽ accidunt, non eſt neceſſe omnibus prædicatis, et ei de quo prædicãtur, omnia illa ſimiliter ineſſe. ut Titius eſt alter à Sempronio, Sempronius autẽ eſt homo, Titius igitur ab homine alter eſt. in hac rationatione eſt fallacia accidentis, nã nõ ſecundũ naturam Titius eſt alter à Sempronio, ſed per Hypoſtaſim & proprietatem, quæ circa naturã ſunt, non autem naturæ. Item emptio eſt contractus, contractus eſt genus, ergo emptio eſt genus. in hac rationatione quoq; eſt fallacia accidentis, nam cum cõtractus de emptione prædicatur, eſt eſſentialis & propria prædicatio. Cum uerò genus de contractu prædicatur eſt prædicatio per accidens. Item, Sempronius eſt homo, homo eſt biſyllabũ, ergo Sempronius eſt byſillabũ. Hic cum biſyllabũ prædicatur de homine eſt prædicatio per accidens.

SECVNDVM QVID AD ſimpliciter, & contra.

Et fit hæc fallacia, quando ex aliquo ſecundũ quid dicto, id eſt, ſecundum circumſtantiam quandam, illud

quod ſimpliciter eſt tale, efficere uolumus.ut ſi probatu rus,uxorem poſſe dimitti,contra legem domini,ita colligam.Licet uxorem dimittere quando eſt adultera,ergo uxorē dimittere licet.ubi apertam fallaciam uides, nam antecedens,ſecundum quid eſt dictum & uero conſentaneum eſt,conſequens uerò dictum eſt ſimpliciter & à uero alienum exiſtit.

Item nulla fœmina poteſt legem condere l.ij.C.de leg.
Omne Teſtamentum eſt lex,ut in §.diſponat,auten.de nup.
Ergo nulla fœmina poteſt Teſtamentum condere.

Fallaciā hic quoq; animaduertis.nā in maiore propoſitione lex ſimpliciter accipitur,ex quo non efficitur quo minus mulier poſſit teſtamētum facere,quod eſt lex ſecundum aliquid,id eſt ſecundum partem.

Hoc in fallacia iſta obſeruandum eſt,quod,quando in illa colligitur à ſecundum quid ad ſimpliciter,id affirmatiue fiat.ut in exemplo primo eſt uidere,at quando à ſimpliciter ad ſecundum quid, ſemper negatiue colligi, ut in exemplo ſecundo uideri poteſt.

PETITIO PRINCIPII ſeu nugatio.

Fit quum idem in concluſione repetitur,ut:
Libertas eſt res fauorabilis,
Fauorabile eſt quod multum fauoris habet,
Ergo libertas eſt res fauorabilis.

Item Mancipium eſt dictum quaſi manu captum §.ſerui,Inſtit.de ſeruit.
Manu captū eſt quod manibus comprehenſum eſt,
Ergo

Ergo mancipium eſt dictum quaſi manu captum.

FALLACIA CONſequentis.

Et fit quando conſequens ex antecedenti nõ neceſſario conſequitur. Sic conſequentia à ſuperiori ad inferius citra ſignum uniuerſale adfirmatiue exploditur, ut:

Contractus eſt, ergo emptio eſt.

Obligatio eſt, Ergo mutui datio eſt.

Item ab inferiori ad ſuperius negatiue ducta conſequentia exibilatur, ut:

Nulla locatio nec conductio eſt,

Ergo nullus contractus eſt.

Nec ſeruitus itineris nec uiæ eſt,

Ergo nulla ſeruitus eſt.

A Signis quoq; infirmè colligitur, ut:

Sempronius gladium cruentũ geſtat,

Ergo homicidium fecit.

Titius de cæde Sempronij appellatus expalluit,

Ergo Sempronium occidit.

A CESSANTE CAVSA.

Tabellarius eſt publicus, Ergo publicũ inſtrumentum conſcribit.

SECVNDVM NON cauſam ut cauſam.

Iuriſconſulti ſæpe litium autores ſunt, Ergo iuriſprudentia eſt litium autor.

Aduocati multas iniquas cauſas ſæpe defendunt, Ergo ius ciuile eſt ars iniqua docens.

PLVRES

Digitized by Google

PLVRES INTERRO- gationes.

Plures interrogationes dicuntur, quum plura de uno aut unum de pluribus interrogamus, uerbi gratia. Dum interrogamus utrum hæreditas ſit res corporalis an incorporalis? Nam ſi conceditur eſſe res corporalis, an etiã tangi poſſit interrogabitur. Si incorporalis eſſe dicetur, mox interrogabitur, an etiam in hæreditate res corporales contineantur, § unico Inſt. de reb. corp. & incorp.

IGNORANTIA ELENCHI.

Ignorantia elenchi eſt ignoratio firmarum, & illæ befactabiliũ probationum. proinde, omnes paralogiſmi in elenchi ueniunt ignorationem. Vlpianus in l. natura ff. de uerbo. ſignificat. cauillationem uocat, quæ eſt, quũ ab euidenter ueris per breuiſſimas mutationes diſputatio, ad ea quæ euidenter falſa ſunt, producitur. Græci σόφισμα uocant, exempla ſuperius multa recenſuimus.

En aliquot libris oſtẽdimus quomodo dialecticæ in iure ciuili ſit uſus plurimus, idq; partim fecimus, ut illorum ſtultitiam reprehenderem, qui dialecticam prorſus ad ius ciuile non accommodari poſſe exiſtimant. partim ut iuuenes iuris ciuilis candidati meis præceptionibus de diſſerendi ratione inſtructi, & felicius res in iure ciuili tractatas intelligãt, et de illis, ſi uſus poſtulet, diſtincte & apte diſſerant.

LIBEL

LIBELLVS
DE FINITIONIBVS ET *diuiſionibus.*

QVAMVIS *in iure ciuili non tã exactæ finitiones & diuiſiones rerum reperiuntur quàm philoſophorum ſunt, tamen quando & ſuæ iuriſconſultis finitiones iuxtà diuiſiones & quidem uariæ exiſtunt, libellũ quendam peculiarem de illis conſcribere uolui, tum ut iuuenes ad obſeruandis tum finitiones, tum diuiſiones in iure ciuili, excitentur, tum ut omnia quæ à* Dialecticis *tradũtur, à iuriſconſultis quoq; obſeruari quoquo modo poſſe condiſcant. Sed primo agemus de finitionibus.*

QVID FINITIO.

Finitio, autore Cicerone *in* Topicis, *eſt oratio quæ id quod definitur explicat, quid ſit.*

EX QVIBVS CONSTET *finitio.*

Finitio uerò conſtat, ex genere, differentia, proprio. autore Bartholo. *in l.1.ff.de Teſtamen.*

LEGES FINIENDI.

In finitionibus rerum, ſunt obſeruandæ certæ leges, quarum Prima *eſt: finitio naturam rei explicato.* Secunda*: de quocunq; finitio dicitur, de illo et diffinitum dicatur. ut ſi hæres eſt quicunq; ſuccedit in uniuerſitate bonorum*

norum l. hæreditas ff. de regu. iuris, Sempronius ſuccedit in uniuerſis bonis teſtatoris, ergo Sempronius eſt hæres. Tertia definitio rei definitæ tantum conueniet. Proinde cum Seruius dolum ita definiſſet, dolus eſt machinatio quædam alterius decipiendi, cum aliud ſimulatur, aliud agitur, Labeo illam definitionem oppugnauit, ut quæ non tantum rei definitæ cõueniret, etenim poſſe ſine ſimulatione id agi, ut quis circumueniatur, poſſe & ſine dolo malo aliud agi, & aliud ſimulari per l. 1. ff. de dolo malo. Sic cum proteſtatio à quibuſdã finitur, quòd ſit clamoſa teſtatio, quæ ob teſtantis ipſius cautionem inuenta ſit. hæc definitio reijcitur, ſiquidem & ſine clamore & in occulto proteſtatio fieri poteſt, uel coram teſtibus uel ſcriptura. Et hoc eſt quod Cicero in Topicis ſcribit, nempe ita finiendum eſſe, ut quum ſumpſerimus ea quæ ſunt rei quam definire uelimus cum alijs communia, uſq; eo perſequamur, dum propriũ efficiatur, quod nullam aliam in rem transferri poſſit. uerbi gratia, dum ita dico, hæreditas eſt pecunia, commune adhuc et multis alijs eſt conueniẽs, quæ hæreditates nõ ſunt, uel donationibus uel furtis, uel quibuslibet alijs rebus pecuniarijs, quæ minime hæreditates ſunt. huic igitur addendũ eſt, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit, quamuis ne id quidem plenum eſt, multis enim modis ſine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt, bello, ſpoliatione, addendum igitur eſt, iure. ſed nec adhuc ſatis eſt, nam & teſtamenta iure fiunt, et pecunia iure legatur, adijciendum eſt igitur, nec ea legata teſtamento, nec poſſeſſione retenta, iam finitio abſoluta et propria eſt hoc modo.

Hæreditas

Digitized by Google

Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, non legata neq; poßeßione retenta.

4. Lex. *Definitio uoces ambiguas ne recipiat. ſed de legibus definitionum ſatis, uenio ad definitionum formulas.*

FORMVLAE DEFI-
nitionum.

Boëtius Seuerinus *in libro de diffinitionibus, quindecim finitionum formulas recenſet.*

1. Quæ οὐσιώδης. i. *ſubſtantialis dicitur.*
2. ἐννοηματική *uel notionalis.*
3. Deſcriptio.
4. ποιότης, *id eſt qualitatem rei oſtendens.*
5. κατ᾽ ἀντίληξιν, *quam latine ad uerbum dicere poſſumus.*
6. κατὰ διαφορὰν, *quæ differentia dici poteſt.*
7. κατὰ μεταφορὰν, *id eſt per translationem.*
8. κατὰ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, *id eſt per priuantiam contrarij eius quod definitur.*
9. κατὰ ὑποτύπωσιν, *id eſt per quandã informationẽ.*
10. ὥς τύπος *latine ueluti, uel ut ſecundum figuram dicam.*
11. κατὰ ἔνδειαν πλήρους ἐκ τοῦ ὁμογένους, *id eſt per indigentiam pleni ex eodem genere.*
12. κατὰ ἔπαινον. i. *per laudem.*
13. κατ᾽ ἀναλογίαν, *id eſt iuxta proportionem.*
14. κατὰ τὸ πρός τι, *id eſt per id quod ad aliquid.*
15. αἰτιώδης *id eſt cauſalis.* Hactenus *ex* Boëtio *recenſuimus formulas finitionũ, quarũ exẽpla in iure ciuili oſtẽdere pro uirili noſtra elaborabimus.*

FINI

FINITIO ESSENTIALIS.

Finitio eſſentialis,eſt quando eſſentiam & naturã rei alicuius explicamus,& conſtat genere & differentia.ut teſtamentum eſt uoluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri uoluit, cum hæredis inſtitutione.in qua diffinitione ſententia ponitur loco generis,reliquæ uoculæ differentiæ loco collocantur, ut doctiſſime explicat Barthol*us in l.1 . ff.de Teſtamen.*

Finitio eſſentialis eſt & illa , ius eſt ars æqui & boni,nam ars generis loco defungitur,æqui & boni differentiæ ſunt. Quamuis ut obiter hoc moneam,ius hoc loco pro legum cognitiõe ponitur,uide Accurſi*um l.1.§. ius eſt ff.de iuſt.& iu.*

Exempla huius generis finitionis quamuis non ita multa in iure ciuili ſunt,nam iuriſconſulti, non ſemper exactè,ſed ex communi regula ſubſtantias rerum deſcribunt , tamen aliqua reperiuntur, quæ ſtudioſus iuuenis diligenter etiam atq; etiam obſeruet.

DEFINITIO
ἐννοηματική.

ἐννοηματική,*finitio dicitur quando rei notio utcunq; deſcribitur.cuius generis finitiões in iure multæ ſunt, ut dum iudicium ita finitur.Iudicium eſt actus triũ perſonarum in iudicio contendentium.Hic qualis qualis notio iudicij deſcripta eſt.Nam ſi uehementer urgeas , non ita per omnia ſolida finitio iudicij erit. Quando et abſq; actore aliquãdo iudicium ſit,quale eſt iudicium inquiſitionis.*ἐννοηματική *finitio eſt,quum dos finitur eſſe illud quod propter onera matrimonij uiro datur.* ἐννοηματική

finitio

finitio eſt,cum ita filius ab Vlpiano finitur, filius eſt qui ex uiro & uxore eius naſcitur.l. filium ff. de his qui ſui uel alie.iur.Sic uulgo cõcepti finiuntur,qui patrẽ demonſtrare non poſſunt l.uulgo concepti ff.de ſtatu homi. Sic Senatores finiũtur,eſſe ij,qui à patricijs & cõſulibus uſq; ad oẽs uiros illuſtres deſcendunt l.nuptiæ ff.de Sena.

DESCRIPTIO.

Deſcriptio eſt cum qualis uel res uel perſona eſt deſcribitur,ut ſi iuriſconſultus deſcribat qualis ſit res, quã alicuius nomine petat. id quod in actione reali fit,in qua ſi res eſt immobilis per loca per latera per cõfinia,deſcribitur l.forma ff.de cenſi.& l.in rem in fi. ff. de rei uend.

ποίοτης.

ποίοτης,*eſt quando qualitas uel functio tam rei quàm perſonæ deſcribitur, quæ, ut ego arbitror, nõ ita multũ à deſcriptione diſcrepat.ut,nauta eſt qui nauem exercet, uel qui nauis cauſa in naui eſt,l.1. §. qui ſunt ff. nautæ caupones &c.Item ſurdus eſt, qui omnino non exaudit. Mutus eſt qui omnino nõ loquitur,§.Itẽ ſurdus Inſt. qui bus nõ eſt permiſſum &c.item corporales res ſunt, quæ tangi & cerni poſſunt.Incorporales res ſunt, quæ tangi non poſſunt.Inſtitut.de rebus corpor.& incorpor. Item patroni ſunt qui ex ſeruitute manumiſerunt l. adoptiuum ff.de in ius uocan.*

Κατ᾽ ἀντίληξιν.

Κατ᾽ ἀντίληξιν *fit finitio, in qua ſequẽs uox priorem interpretatur,ut quum dico,donatio eſt doni datio,exceptio eſt actionis excluſio,l.1. ff.de except.Inſtrumentum eſt quod inſtruit cauſam.Teſtamentum eſt teſtatio mẽtis*

K §.1.

§.1.Inſtitu.de teſtamen. de pactus eſt turpiter pactus l.3. §.hoc edicto ff.de calumn. quæ finitio, ut ego ſentio, ab ethymologia non differt.

Κατὰ διαφορὰν.

Hæc definitio eſt, quũ per certam differentiã res à re differre oſtẽditur, ut Apoſtoli dimiſſorij ſunt literæ, quæ appellanti dantur à iudice, qui appellationi detulit, ergo differũt ab apoſtolis refutatorijs & reuerẽcialibus, quorum illi ſunt literæ datæ appellãti à iudice qui appellationi non detulit, hi uerò ſunt literæ datæ appellanti à iudice qui dubitauit an appellationi deferendũ eſſet. hic audis per differentias quaſdã Apoſtolos uarios uariè finiri. Sic exceptio dilatoria eſt quæ differt actionẽ, perẽptoria quæ perimit actionem l.2.§.ſane & l.1.ff.de excep. Exempla huius generis finitionis in ll. ſunt innumera.

FINITIO PER TRANSLATIONEM.

Vt exceptio eſt actionis excluſio. Sic obligatio finitur eſſe iuris uinculum, quo neceſſitate aſtringimur alicuius ſoluendæ rei, §.1.Inſti.de obliga. ſunt uerò metaphoræ, uinculũ iuris, aſtringi. ſic calũniari eſt falſa crimina intendere l.1.§.calũniari. ff.ad ſenatuſconſul.Turp. Eſt uerò metaphora in uerbo intendere, ducta uel à uenatoribus, qui retia intendunt ad capiendas feras, uel à ſagittarijs intendentibus arcus.

FINITIO PER PRIVATIONEM contrarij eius.

Vt quando dico, bonũ eſt quod malum non eſt, ſtipulatio prætoria eſt, quæ nõ cõuentionalis eſt, §.1. Inſti.de diuiſi.ſtipula. Iuſtum eſt quod iniuſtũ non eſt. Sic iniuria

genera

generaliter dicitur omne illud,quod iure nõ fit,§.1. Inſt. de iniu.Iure fieri et iniuria contraria ſunt.cõtractus eſt, qui diſtractus non eſt. Merum imperium eſt quod non mixtum eſt,l.1.ff.de iuriſdict.Huius generis finitionis me mor eſt etiam Cicero in partitio.oratorijs.

FINITIO PER INFORMATIONEM.

Illa finitio quando aliquam perſonã luculenter deſcri bimus,eam uel laudantes uel uituperantes. Sic Iuſtinia= nus in titulo C.de nouo Codice faciendo,Leontiũ deſcri= bit,quòd ſit uir excellẽtiſsimus, exquæſtor ſacri palatij, conſularis,Patricius.ſic deſcribit Tribunianum,quòd ſit uir magnificus,magiſteria dignitate decoratus.

FINITIO ὡς τύπῳ.

Hæc finitio uocatur à Boëtio finitio ueluti,et fit quan do oſtenditur unã rem ita finiri, ut altera finiatur: uer= bi gratia.ſi quæratur quid ſit ius gentiũ,reſpõdeatur,ut ius naturæ.Item ſi quæratur quid ſit matrimoniũ,reſpon deatur,ut nuptiæ,§.ut nuptiæ Inſt.de patria pote.

FINITIO PER LAVDEM.

Sic Papinianus legem finit. Lex eſt commune præ= ceptũ,uirorũ prudentũ cõſultũ, delictorũ quæ ſpõte uel ignorãtia contrahũtur, coërcitio,cõmunis Reipub.ſpõ= ſio l.1.ff. de leg.Sic ſunt illa in l.1. de iuſti.& iur. Ius eſt ars æqui & boni,cuius nos merito qs ſacerdotes appel= let:iuſtitiã nãq; colimus,& boni & æqui normã profite mur, uerã,ni fallor,philoſophiã nõ ſimulatã adfectãtes.

FINITIO IVXTA RATIO=
nem uel proportionem.

Qum inter res aliqua ſimilitudo & proportio eſſe

oſtenditur. ſic latior culpa dolus eſt, l. quod Nerua ff. depoſiti. ius naturæ eſt idem quod ius gentium. intentio apud Rhetores eſt id quod intentionem uocant iuriſconſulti. Depulſio apud Rhetores eſt, id quod depulſionē iuriſconſulti appellant.

FINITIO AD ALIQVID.

Hæc finitio habet locum in relatiuis. Sic creditor eſt, qui habet debitorē, ſic patronus eſt, qui habet clientem.

FINITIO CAVSALIS.

Eſt quæ ex cauſis cōſtatur, ſunt autē cauſæ quatuor, cauſa efficiens, materia, forma, finis. à cauſis efficientibus eſt finitio illa. Lex eſt quod populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante ueluti conſule conſtituebat §. lex eſt Inſti. de iure naturali gent. &c. nam lex ferebatur per populi rogationē. Etenim Quirites à conſulibus rogabantur uellent, iuberent' ne quid fieri, qui ſi ſciuiſſent, id eſt confirmaſſent, lata ſancitaq; lex erat &c. Ex quibus omnibus colligimus, rogationem conſulis & conſenſum populi legem effeciſſe. A materia ita ducuntur finitiones. ut res corporales ſunt quæ tangi cerniq; poſſunt. lignum eſt quod cōburendi gratia cōparatum & à ſolo diuulſum eſt l. ligni de lega. 3. A forma ita finitiones ducuntur. Seruitus eſt, qua quis dominio alieno cōtra naturā ſubijcitur §. ſeruitus Inſt. de iure perſo. eſt enim hic expreſſa forma qua uictor uictos continet. Sic mancipia finiuntur eſſe homines, qui ab hoſtibus manu capiantur §. ſerui Inſt. de iure perſo. Sic manumiſſio finitur eſſe datio libertatis l. manumiſſiones ff. de iuſt. & iur. A fine ita ducuntur finitiones, Publicum ius eſt quod ad ſtatum rei

Romanæ ſpectat. Priuatum *quod ad ſingulorum utilitatem l.1.§.huius ſtudij ff de iuſtit.& iure.*

Hactenus explicauimus exemplis,è iure ciuili ductis, finitionũ genera, quæ Boëtius *in libro de diffinitionibus recenſet.* Venio *nunc ad* Ciceronẽ,*qui & in* Topicis *aliqua finitionum genera recenſet, unum earum quæ ſunt, alterũ earum quæ intelliguntur. eſſe ea dicuntur, quæ tangi cerniq; poſſunt, quæ à* Iuſtiniano *res corporales appellantur §.unico* Inſt.*de reb.corp. & incorp.ut ſunt fundus, ædes, paries, ſtillicidiũ, mancipium, penus, ſupellex, quarum rerum finitiones ex pandectis depromi poſſunt.* Non *eſſe dicuntur, quæ tangi demonſtrariq; nõ poſſunt, cerni tamen animo atq; intelligi poſſunt, ut uſucapio, tutela, gens, agnatio.* Ad hæc Cicero *ſcribit eſſe aliquas finitiones partitionum, eſſe aliquas diuiſionũ.* Finitio *partitionum eſt quæ ex partibus ſeu mẽbris rei cõſtituitur, ut ſcriptum ius ciuile eſt, quod legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, principũ placitis, magiſtratuum edictis, reſponſis prudentum conſtat, §.ius ſcriptum* Inſti. *de iure natur.&c.finitio diuiſionis, eſt quæ ex ſpecierũ diuiſione cõponitur, ut cum ita dicis, ius ciuile eſt quod aut ſcripto, aut non ſcripto conſtat §.conſtat* Inſt. *de iure natu.* Sic *pleriq; gloſſularij iuris ciuilis dicunt, illam finitionẽ tutelæ ex ſpeciebus conſtari, dum ita tutela finitur,* Tutela *eſt poteſtas defendendi pupillũ iure ciuili data ac permiſſa, §.eſt autem* Inſt.*de tute.nam cum dicitur, poteſtas iure ciuili conceſſa legitimam tutelam intelligit, ut quæ ex lege 12.tabularum conceditur agnatis §.1.Inſtitu.de legit.agnat.tute.quum autem dicitur, data, intelligi tu-*

telam à prætore conceſſam, de qua in Inſt. de Attili. tuto. quum dicitur, permiſſa, intelligi teſtamentariam tutelã. an uerò hæc finitio tutelæ in tantas anguſtias conijcienda ſit aliorum eſto iudicium.

Abſoluimus & genera & rationes finiendi, atq; exemplis è iuris ciuilis penuario deprõptis illuſtrauimus. Nunc & diuidẽdi formulas ſubiungam, & eas à iuriſcõſultis quoq; & uſurpatas & uſurpari poſſe declarabo.

Prima ſpecies diuiſionis eſt, qua uox aliqua una in uaria ſignificata diuiditur. ſic ius diuiditur in uaria ſignificata, nam uno modo, ius ſignificat id quod ſemper bonum & æquum eſt, ut eſt ius naturale. Altero modo quod omnibus aut pluribus in quaq; ciuitate utile eſt, ut ius ciuile, ius honorariũ ſeu prætoriũ. alia ſignificatione dicitur ius, locus, in quo ius redditur, uide l. pluribus modis ff. de iuſti. & iure. Sic & familia in ſua ſignificata diuiditur, quæ uide in l. pronunciatio ff. de uerborũ & rerum ſignifica. & ibi Alciatum.

Secunda diuiſionis ſpecies eſt, qua genus in ſpecies diuiditur, ſic imperium in imperiũ mixtum & imperium merum diuiditur l. 1. ff. de iuriſdict. Sic ius in publicũ & priuatum diuiditur l. 1. § huius ſtudij ff. de iuſti & iure. huius diuiſionis exempla in iure ciuili ſunt plurima. hoc modo in hac diuiſionis ſpecie obſeruãdum eſt, ne id quod ſecundum magis & minus diuiditur, in ſpecies diuidi arbitremur, nam magis & minus diuerſas ſpecies non conſtituunt l. fi. ff. de fundo inſtructo & l. ſi is cui ff. quemadmodum ſeruitus amit. Proinde Bartholus à clariſſimo iuriſconſulto Vdalrico Zaſio reprehenditur, quòd dum culpa

culpa in latam, latiorem & latiſsimam, leuem & leuiſsi mam diuiditur, eam in ſpecies diuidi putarit, quum nemo non intelligat culpam, iſto modo ſecundum magis & mi nus diuidi, quæ ut iam dictum eſt, ſpecies diuerſas non faciunt.

Tertia diuiſionis ſpecies eſt, quum totum in partes diuiditur, quæ uocatur tam à Cicerone quàm à Fabio Quintiliano partitio, ut quum ius priuatum diuiditur in naturale, gentium, ciuile, §. huius ſtudij Inſtitu. de iu ſtit. & iure, cuius diuiſionis in iure ciuili exempla non pauca extant.

Quarta diuiſionis ſpecies enumeratio uocatur, & fit quando ſubiectum in accidentia diuiditur, ut quum dico Iuſtinianũ imperatorem & in legibus cõſtituendis præ ſtantem, & in rebus bellicis inſignem fuiſſe. ut eſt uidere in præfatione Inſtitutionum iuris ciuilis.

Explicauimus quoque diuidendi formulas, hac gra tia, ut iuuenis iuris ciuilis ſtudioſus, & illarũ in iure ci uili rationem habeat. nam quum Boëtio autore, in libro de diuiſione, ſcientia diuidendi omnibus ſtudioſis magnũ fructum adferat, ut quæ facit, ut res clarè à nobis tracta ri queant, non dubium eſt quin ſi iuuenis iuris ci uilis ſtudioſus, diuiſionum in iure ciuili reſpectum magnum habuerit, ma gnum quoq; ex illis fructum accepturus ſit.

τέλος.

Vt iuuentus ſtudioſa meo ex-
emplo ad uerſus etiam ſcribendos
prouocetur, ego carmina quædam
ad inſigniter eruditum iuuenem Pe
trum Brockẽdorphium, compatrẽ
meum chariſſimum ſcri-
pta, in fine horum li-
brorum adden-
da curaui.

CHRISTOPHORVS

HEGENDORPHINVS PETRO
BrocKendorphio S. D.

Nil quamuis tibi quod ſcriptis, mi Petre, referrem
In mentem noſtram Thalia noſtra dabat,
Attamen ut de te cogitem quàm ſemper amice
Perſpicias, ſchedã hanc mittere perplacuit.
Mittere perplacuit ſchedam hanc, ceu pignus amoris,
Si modo eget noſter pignore uerus amor.
Te ſaluere ſimul cupio & cupio uſq; ualere,
Tum quid agas perquàm lux mea, ſcire uelim.
Pro ſcribis illud quod ſcripſi, ſi tibi curæ eſt,
Cenſendum mitto, Petre diſerte uale.

DEFEN

DEFENSIO SCRIBARVM
contra uulgus nobilium.

Vulgus nobilium ſcribas cane peius & angue
Odit, nec quicquam his uilius eſſe putat.
At ſimulac uarias luſtrat gens nobilis oras,
Pileoli in ſummo uertice penna micat.
Nobilitas quòd ſi Martis ſub prælia uadit,
In galea ſummum penna ſuperba tenet.
His rebus liquido monſtrat gens nobilis illa
In mundo pennam ſummè tenere leuem.
Vt ſine qua minime pacis ſub tempore charo
Eſſe ornata queat, res bene mira ſatis.
Vt ſine qua nec dum durus Mars ſæuit in orbe,
Vel ſatis ornatè prælia inire queat.
At quum nobilitas pennam dignetur honore
Tanto, quur ſcribas ſpernit & inſequitur?
Spernit & inſequitur ſcribas, qui tempus in omne
Deſcribunt pennis grãmata culta ſuis.

EIVSDEM AD EVNDEM.

εἰ γλίχῃ μετ' ἐμοῦ μετέχειν, φίλε πεῖθε, πλακοῦντος
δειπνήσας γνώτων δῶμα πρόσελθε τ' ἐμόν.
ἐνθάδε μὲν εὖ πολλοῖς καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι,
φροντίδα τῆς σπουδῆς θέλξομεν ἡμερινῆς.

EIVSDEM AD EVNDEM.

εἰ ποθέεις ἡμῶν μετὰ δείπνε δῶμα πρὸς ἐλθεῖν
λήρους ληρῆσαι καὶ φίλε πέτρε θέλεις.
ἔρχεο σὺ καρυῶν κεκορέσεαι ἡρακλεώτων,
ὧσδε πίνειν μάλα τε βρῶμα δ' ἔχω φίλε.

EIVSDEM AD EVNDEM.

Nil aliud poſſum melius tibi, Petre, precari,
Vt ſolitum eſt, anno nunc ineunte nouo,
Quàm ſe quo Chriſtus dignetur fundere totum,
De hinc ſub ſeceſſus pectoris uſq; tui.
Ipſum ut cognoſcas penitus, iungaris & illi,
Hæc tibi cum fuerit uita peracta, uale.

EIVSDEM AD EVNDEM.

ἐλθόντος νέου ἐνιαύτου εὔχομαι ἔσθλα,
πλεῖσα τεοὶ ῥώμην σώματος ἠδὲ φρενός.
καὶ μάλα τὸν χριστὸν σοῦ καρδίην κατέχειν,
ὃν μέτα σύ ποτε ζῆν εἴσι δύναιο μάκαρ.

ΤΕΛΟΣ.

~~CHRISTOPHORVS HEGENDORPHINV~~S CAN-
didis lectoribus S. D. P.

EN *habetis,cādidi lectores,quinq; de* Dialectica *le- gali libros,quos nō gratia oſtentādi ingenij, quod ſentio quàm mihi ſit exiguum,nō captādæ auræ popula ris,à qua à puero abhorrui,ſtudio,euulgaui,ſed ut can- didatorum iuris ciuilis ſtudia pro mea mediocritate ad- iutarem.* Etenim *iuris ciuilis ſtudioſis hi libri ad hæc,uti opinor,commodabunt,ut ipſi in iure ciuili plurima cla rius & rectius quàm uulgus* Interpretum *intelligit,acci piant:et ea quæ in iure ciuili,aut audiunt,aut priuatim legunt,in uſum conuertere & diſerte tractare aliquan- do poßint.nam ſi dialectica,Cicerone autore,omnium ar tium lux eſt maxima,certe & iuri ciuili non paruam e- tiam lucem adferet,ut illa adiuti ll. & clarius intelliga- mus,& his rectius uti queamus.*

Precor *igitur omnes qui iſtos libros legerint,ut nō alio animo à me editos eſſe credant,quàm ut candidato- rum iuris ciuilis ſtudia promouerem.* Quòd *ſi forſitan alicubi non omnia exempla à me adducta adamußim præceptionibus dialecticis congruerint,cogitare uos uo lo illam eſſe iuris ciuilis rationem,ut ex eo exempla, ad omnia* Dialecticæ *præcepta* κατὰ πόδας, *ut* Iuſtiniani *uerbis utar,reſpondentia ægre proferri poßint.* Quan- *quam, niſi prorſus fallor, perpauca exempla occur- rent, quæ* ἀπροσδιόνυσα καὶ τῆς ὁδοῦ ἁμαρτάνοντα

uideri

uideri poterunt. Plerique; forſitan mirabuntur, quomodo cum adhuc iuris ciuilis λύτης exiſtam, et primam tantum lauream acceperim, his in libris, quinam iura ciuilia ad dialecticæ præcepta exigi queant, demõſtrare potuerim. Quibus hoc reſponſum ſit, me quidem in iure ciuili λύτην eſſe (liceat mihi uti uerbo Iuſtiniani) ſed et amplius quinquennium iuris ciuilis doctores doctiſſimos, quos celebris Lipſienſis academia alit, diligenter audiuiſſe & domi quoq; priuatim tantum, ut modeſte de me dicã, in iure ciuili legiſſe, quantũ aliquis meorum æqualiũ legere potuit. Quum uero iuris ciuilis cognitionẽ ex crebra doctorum auditione, & priuata quoq; lectione ſedula comparari poſſe, omnes iuriſconſulti uno ore adfirment: ego iuris ciuilis non omnino imperitus eſſe poſſum, & illius uſum utcunq; demonſtrare potui. Id quod propterea ſcribo non quòd magnam iuris ciuilis ſcientiam iactitem, ſed ne hoc, quod nõ unquàm uel primoribus labris attigerim, tractaſſe iudicer. Bene ualete lectores candidi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google